MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80350-3

AUTHOR:

HOELTERMANN, ALFONS

TITLE:

FLAVIO CAPRO GRAMMATICO ...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1913

Master Negative #

91-80350-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hoeltermann, Alfonsus, 1890-
De Flavio Capro grammatico. Dissertatio inauguralis quam...scripsit Alfonsus Hoeltermann...
Bonnae, typis Henrici Ludovici, 1913.
116 p. 22½ cm.

Thesis, Bonn, 1913.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA




FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-3-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


SIGILLVM · COLLEGII · COLUMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN

DE FLAVIO CAPRO GRAMMATICO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ALFONSUS HOELTERMANN
RHENANUS

PROMOTUS DIE VI MENSIS JUNII ANNI MCMXIII



BONNAE
TYPIS HENRICI LUDOVICI
MCMXIII

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
F. Marx

FRIDERICO MARX

Flavi Capri grammatici librorum minima frustula aetatem tulisse eo magis dolendum est, quod in illis libris maximam copiam exemplorum e veteribus scriptoribus desumptorum extitisse constat (cf. Prisc. GLK II 188,22). Nam paucis illis paginis in grammaticorum latinorum corporis volumine VII p. 92—112 Capri nomine insignibus nihil aliud servatum est nisi operis genuini compendium admodum concisum et mutilatum (cf. H. Keil in GL VII p. 90). Tamen, cum permulti posterioris aetatis grammatici Capri copias adiisse constet, ex illis Capri doctrinam eruere nostrum erit. Et multi sane viri docti huic rei iam operam dederunt, tamen unum et gravissimum restare videtur. Nam non solum cum Capro res nobis est sed etiam cum M. Valerio Probo Berytio, quem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui reliquisse Suetonius tradit (p. 119,7 Reiffersch.), nec non cum C. Plinio Secundo, qui dubii sermonis libros VIII scripsit. Nam Caprum saepius et Probi et Plini scrinia adiisse infra videbis. Et in hoc peccaverunt multi viri docti alius magis alio, quod Probum et Plinium aut omnino non secreverunt a Capro aut non satis diligenter. Sed cum nec Probi nec Plini libri grammatici servati sint, iam apparet, quantis difficultatibus haec quaestio de Capri libris instituenda implicita sit. Priusquam autem de eo modo, quo in hac quaestione solvenda processurus sum, disseram, de iis scriptoribus, qui Capri silvas adierint, quae dicenda sunt dicere liceat.

Atque primum quidem in Prisciani grandi opere plurima Capri vestigia latere inde optimo iure colligimus, quod saepissime Capri nomen laudatur:
in libro III, de comparatione: GL II p. 85,6. 96,2. 97,7.
in libro IV, de denominativis: GL II p. 129,7. 134,2.
in libro V, de generibus: GL II p. 163,22. 171,14. 188,22.
in libro VI, de nominativo et genetivo casu: GL II p. 204,6. 212,5. 212,15. 260,18. 264,16.
in libro VII, de ceteris casibus: GL II p. 322,2. 354,9.
in libro VIII, de verbo: GL II p. 391,1. 393,9. 393,13. 436,7.
in libro IX, de generali verbi declinatione: GL II p. 490,9.
in libro X, de praeterito perfecto III coniugationis: GL II p. 500,6. 508,28. 509,22. 513,7. 524,12. 530,18. 535,1.
in libro XI, de participio: GL II p. 561,10.
in libro XIV, de praepositione: GL III p. 40,30. 44,9.

Ex hac tabula eos Prisciani libros, quibus de nomine et verbo agitur, inprimis Capri doctrina refertos esse apparet. Atque de Flavio Capro Prisciani auctore iam egit Godofredus Keil[1]) et nuper Ludovicus Jeep[2]). Sed Ludovicus Jeep satis levi manu omnes fere Prisciani locos veterum scriptorum exemplis ornatos Capro vindicat, ut huius viri docti opiniones refutare non iam sit difficile[3]). Sed eo etiam Godofredus Keil erravit, quod Probi locos per Caprum ad

1) De Flavio Capro grammatico quaestionum capita duo. Diss. Hal. 1889.

2) in Philol. 1909 p. 28 e. q. s.

3) Ludovici Ieep vestigia nuperrime pressit Otto Wischnewski: „De Prisciani institutionum grammaticarum compositione", Diss. Regimont. 1909, cuius de libello quomodo sit indicandum recte dixit Wessner in Berl. philol. Wochenschr. 1910 col. 1541 e. q. s. Etiam Alfredus Luscher: „De Prisciani studiis graecis" in Breslauer philol. Abhandlg. 1912 p. 37—61, quamquam multa diligenter eum investigasse non nego, temerariae isti de Capro Prisciani auctore opinioni adstipulatur.

Priscianum venisse putavit. Nam etiam Valeri Probi in Prisciani institutionibus saepius fit mentio. Et quicumque locos apud Priscianum Probi nomine insignes accurate inspexerit, facere non poterit, quin ipsum Probum a Prisciano adhibitum esse statuat. Moneo praecipue hos duos locos, unde Priscianum ipsum Berytium ad manum habuisse certo sequitur:

Prisc. II 535,21: 'pinso pinsui' facit praeteritum, quod Probus usu Pomponii comprobat: „neque malis molui neque palatis pinsui;" et

Prisc. II 541,21: sic enim Probus de dubio perfecto tractans ostendit Naevium protulisse: „An nata est sponsa praegnans? vel ai vel nega."

Itaque Priscianum non per Caprum Probiana accepisse sed suis oculis vidisse iam Bernardus Kuebler suo iure affirmavit[1]). Quod autem idem vir doctus l. c. contendit etiam Plinium a Prisciano in iis libris, quibus de nomine et verbo agit, adhibitum esse id mihi non persuasit. Nam ea res longe aliter comparata est. Priscianus enim praeter quattuor locos (II 26,16. 29,9. 29,18. 31,2), qui non faciunt ad nostram rem, quinquiens tantum Plinium laudat. Et omnes hi loci ita comparati sunt, ut eos ex alio nescio quo grammatico sumptos esse mihi concedas. Nam bis Plinius una cum aliis grammaticis (II 393,9 cum Capro et Probo, II 513,8 cum Capro, Pollione, Probo) commemoratur, ceteris locis eius opus modo „ars grammatica" (II 262,18) modo simpliciter „artes" (II 233,13) modo „sermonis dubii libri" (II 594,23) appellatur, ut mira illa inconstantia explicari non possit, nisi Priscianum aliis locis ex aliis grammaticis Pliniana delibasse statuas[2]).

1) in Berl. philol. Wochenschr. 1890 col. 1368.

2) cf. Alfr. Schottmueller: „De Plinii libris grammaticis". Diss. Bonn. 1853 p. 6.

Praeter Priscianum Iulius Romanus, cuius doctrina servata est a Charisio, Capri libros inspexit. Deciens enim Capri nomen occurrit in illis Charisianorum librorum partibus, quas e Romano desumptas esse constat: p. 118,1. 123,19. 132,6. 145,20. 145,23. 194,31. 195,4. 195,19. 199,9. 207,31. Atque e Iuli Romani scriniis libri I caput XVII „de analogia" (GL I p. 116,29—147,16) integrum se sumpsisse ipse Charisius ineunte illo capite testatur. Praeterea Romani nomine insignes sunt hi loci Charisiani:
GL I p. 53,12–53,18. 56,4–56,7. 61,5–61,14. 114,1–114,6. 114,25–114,28. 190,8–224,22. 229,3–230,2. 232,7–232,10. 236,16–238,17. 239,1–242,12. 254,8–254,9.
In his igitur partibus non paucas Capri reliquias servatas esse iudicandum est. Sed monendum est multo saepius Plinium a Romano expilatum esse, quod vel eo certo intellegitur, quod plus septuagiens a Romano Plini nomen advocatur. Itaque caveamus, ne nimis temere Capro adscribamus, quae re vera Plinii sunt. Sed in Romani libro de adverbio (GL I 190,8—224,22) cum Plini nomen nusquam laudetur, eum a Romano neglectum esse Alfredo Schottmueller[1]) et Oscaro Froehde[2]) concedo. Probi nomen semel in Romani de analogia libro (p. 118,1) invenitur, ita tamen, ut Romanum ibi non Probum ipsum inspexisse appareat. Sed in Romani de adverbiis libro, in quo Plinium adhibitum non esse modo diximus, Probi bis mentio fit (p. 198,16 et 212,7), ut hic Probus a Capro diligenter sit secernendus. — Sed praeterea etiam in Charisii libri I capite XV (GL I p. 50—112) Capri vestigia latere inde concludi potest, quod multae huius capitis particulae cum Romani locis in capite de ana-

1) l. c. p. 37.
2) De C. Iulio Romano in Fleckeis. annal. suppl. 18 (1892) p. 617.

logia extantibus conspirant. Sed non ex ipso Iulio Romano sed ex nescio quo alio grammatico, quem Fridericus Boelte[1]) 'anonymum de analogia' nominavit, qui et ipse Capri doctrinae non fuit ignarus, has particulas Charisium desumpsisse iudicandum est[2]). Locos, qui in censum veniunt, cum Schottmueller (l. c. p. 21 e. q. s.), Boelte (l. c. p. 415 e. q. s.), Froehde (l. c. p. 587 e. q. s.) diligenter congesserint, denuo afferre supersedeo. Illud autem monendum est etiam Plinii in hoc capite multo tamen paucioribus locis atque apud Romanum mentionem fieri, sed cum Probi nomen nusquam inveniatur, ne Capro tribuamus quae illius sint periculum non est.

Iam ad eum grammaticum ventum est, quem summo emolumento ad hanc quaestionem solvendam esse persuasum habeo. Nam in Nonii Marcelli compendiosae doctrinae capite III, quod de indiscretis generibus inscribitur, plurimas particulas e Fl. Capro sumptas inesse iam ante hos multos annos Paulus Schmidt[3]) assentiente Henrico Keil (GL VII p. 90) statuit. Et re vera multis huius capitis locis Nonium grammatico usum esse ex eo dilucide apparet, quod multos scriptores ibi affert, quorum in ceteris capitibus nec vola nec vestigium extat, et quod saepe eos scriptores, quos certo modo afferre solet, in hoc capite plane alio modo affert. Qui ille grammaticus sit diu viri docti dissentiebant, cum alii[4]) Valerio Probo alii

1) in Fleckeis. annal. vol. 137 (1888) p. 416.
2) cf. Guilelm. Christ in Philol. vol. 18 (1862) p. 122; C. de Morawski: Quaestionum Charisianarum specimen in Hermae vol. 11 (1876) p. 350; Boelte l. c. p. 413; falso O. Froehde l. c. p. 569 e. q. s. ipsi Romano illas partes adscribere videtur.
3) De Nonii auctoribus grammaticis, Lipsiae 1868 p. 153 e. q. s.
4) ut Martinus Hertz in Fleckeis. annal. vol. 85 (1862) p. 786; cf. etiam O. Froehde in Fleckeis. annal. vol. 151 (1895) p. 284.

Capro Nonium in hoc capite usum esse contenderent. Sed re vera Capro Nonium usum esse procul dubio demonstrari potest. Nam Memmii poetae nusquam alibi mentio fit nisi in Noni capiti III p. 194,30 et in Capri de orthographia libello GL VII p. 101,17, quem libellum excerptum e Capri libris genuinis quamvis mutilatum esse supra diximus. Praeterea Gracchi tragici unus versus legitur in eodem Noni capite III p. 202,20. Hunc quoque e Capro originem duxisse ideo affirmandum est, quod eiusdem poetae versus apud Priscianum occurrunt duo (II 206,11 et 269,8), qui ambo leguntur sub lemmatibus, quae e Capro deducta esse demonstrari potest (cf. infra sub Graccho). Praeterea non pauci alii scriptores apud Nonium occurrunt, quos neminem attulisse probari potest nisi Caprum, ut Varro Atacinus, Varro in Admirandis, Mummius, alii. At etiam Probum vel Plinium adiisse Nonium in hoc capite III demonstrari nullo modo potest. Immo quae Nonius e vetustiore et docto grammatico in hoc caput transtulit, ea e Capro fluxisse iudicandum est. — Sed etiam in capite VII, quod inscribitur de contrariis generibus verborum, qua de re Caprum egisse per Priscianum (II 391,1. 393,9. 393,13) constat, Nonium nonnunquam Capri libros inspexisse certo argumento probari potest[1]). Adfert enim Nonius in hoc capite Ninni Crassi Iliadem (p. 475,14), quem poetam nusquam alibi memorat, ut e grammatico hunc locum sumptum esse concludendum sit. Et re vera apud Charisium p. 145,19 scriptum videmus hoc: „Torques, hic et haec torques nominativo ut hic et haec canes a Lucilio libro I dictum legimus; itaque dixisse veteres Caper his exemplis docet: Laevius[2])

1) iam P. Schmidt l. c. p. 150 in Noni capite VII vel Plini vel Capri vel Probi doctrinam latere coniecit.

2) „neuius" N. „Laevius" A. Schottus in Procli chrestom. p. 419 Gaisford.

Cypriae Iliadis libro I: 'collum marmoreum torques gemmata coronat'". Hunc locum corruptum esse primo obtutu apparet et quod plura exempla Caper sub titulo 'torques' attulisse dicitur, cum unum tantum afferatur, et quod Laevium Iliadem scripsisse alibi non traditur. Quas difficultates ita perfacile expediendas esse nemo non videt, ut excidisse dicamus et Laevi versum et eius poetae nomen, quem Iliadem scripsisse accepimus id est Ninnium Crassum. Itaque ubi Ninni Crassi nomen legitur, Capri vestigia apparent, praesertim cum etiam apud Priscianum bis Ninni Crassi nomen extet in libris Capri doctrina maxime refertis (II 478,12 et 502,24), alibi autem omnino ne mentio quidem fiat illius poetae. Sed ut summam faciam huius disputntionis de Capro Noni fonte institutae, illud pro certo affirmari posse puto Nonium ne in reliquis quidem capitibus praecipue in iis, quibus de eadem re acturus erat, de qua Caper egit (velut in capite XI, de indiscretis adverbiis; cf. Caprum apud Iulium Romanum GL I p. 194,31. 195,4;19. 199,10. 207,31), doctissimum illum antiquitatis perscrutatorem prorsus neglexisse.

Peculiarem in hac quaestione tenet locum libellus qui inscribitur „De dubiis nominibus" (GL V 571—594). Et similis de hoc libello lis est orta atque de Nonii capite III, cum alii ut I. W. Beck[1]) Plinii, alii ut H. Keil[2]) et post eum multi Capri vestigia in hoc libello latere putarent. Sed ut alii grammatici in generibus nominum definiendis Capri potissimum copiis usi sunt, ita eum qui hunc de dubiis nominibus libellum conscripsit ex eodem Capro veterum scriptorum exempla sumpsisse demonstrari potest. Atque valentissimum argumentum, quo non Plinium sed Caprum ab hoc

1) in Berl. phil. Wochenschr. 1892 col. 1571 e. q. s.

2) GL V 570.

Capro Nonium in hoc capite usum esse contenderent. Sed re vera Capro Nonium usum esse procul dubio demonstrari potest. Nam Memmii poetae nusquam alibi mentio fit nisi in Noni capiti III p. 194,30 et in Capri de orthographia libello GL VII p. 101,17, quem libellum excerptum e Capri libris genuinis quamvis mutilatum esse supra diximus. Praeterea Gracchi tragici unus versus legitur in eodem Noni capite III p. 202,20. Hunc quoque e Capro originem duxisse ideo affirmandum est, quod eiusdem poetae versus apud Priscianum occurrunt duo (II 206,11 et 269,8), qui ambo leguntur sub lemmatibus, quae e Capro deducta esse demonstrari potest (cf. infra sub Graccho). Praeterea non pauci alii scriptores apud Nonium occurrunt, quos neminem attulisse probari potest nisi Caprum, ut Varro Atacinus, Varro in Admirandis, Mummius, alii. At etiam Probum vel Plinium adiisse Nonium in hoc capite III demonstrari nullo modo potest. Immo quae Nonius e vetustiore et docto grammatico in hoc caput transtulit, ea e Capro fluxisse iudicandum est. — Sed etiam in capite VII, quod inscribitur de contrariis generibus verborum, qua de re Caprum egisse per Priscianum (II 391,1. 393,9. 393,13) constat, Nonium nonnunquam Capri libros inspexisse certo argumento probari potest[1]). Adfert enim Nonius in hoc capite Ninni Crassi Iliadem (p. 475,14), quem poetam nusquam alibi memorat, ut e grammatico hunc locum sumptum esse concludendum sit. Et re vera apud Charisium p. 145,19 scriptum videmus hoc: „Torques, hic et haec torques nominativo ut hic et haec canes a Lucilio libro I dictum legimus; itaque dixisse veteres Caper his exemplis docet: Laevius[2])

1) iam P. Schmidt l. c. p. 150 in Noni capite VII vel Plini vel Capri vel Probi doctrinam latere coniecit.

2) „neuius" N. „Laevius" A. Schottus in Procli chrestom. p. 419 Gaisford.

Cypriae Iliadis libro I: 'collum marmoreum torques gemmata coronat'". Hunc locum corruptum esse primo obtutu apparet et quod plura exempla Caper sub titulo 'torques' attulisse dicitur, cum unum tantum afferatur, et quod Laevium Iliadem scripsisse alibi non traditur. Quas difficultates ita perfacile expediendas esse nemo non videt, ut excidisse dicamus et Laevi versum et eius poetae nomen, quem Iliadem scripsisse accepimus id est Ninnium Crassum. Itaque ubi Ninni Crassi nomen legitur, Capri vestigia apparent, praesertim cum etiam apud Priscianum bis Ninni Crassi nomen extet in libris Capri doctrina maxime refertis (II 478,12 et 502,24), alibi autem omnino ne mentio quidem fiat illius poetae. Sed ut summam faciam huius disputntionis de Capro Noni fonte institutae, illud pro certo affirmari posse puto Nonium ne in reliquis quidem capitibus praecipue in iis, quibus de eadem re acturus erat, de qua Caper egit (velut in capite XI, de indiscretis adverbiis; cf. Caprum apud Iulium Romanum GL I p. 194,31. 195,4;19. 199,10. 207,31), doctissimum illum antiquitatis perscrutatorem prorsus neglexisse.

Peculiarem in hac quaestione tenet locum libellus qui inscribitur „De dubiis nominibus" (GL V 571—594). Et similis de hoc libello lis est orta atque de Nonii capite III, cum alii ut I. W. Beck[1]) Plinii, alii ut H. Keil[2]) et post eum multi Capri vestigia in hoc libello latere putarent. Sed ut alii grammatici in generibus nominum definiendis Capri potissimum copiis usi sunt, ita eum qui hunc de dubiis nominibus libellum conscripsit ex eodem Capro veterum scriptorum exempla sumpsisse demonstrari potest. Atque valentissimum argumentum, quo non Plinium sed Caprum ab hoc

1) in Berl. phil. Wochenschr. 1892 col. 1571 e. q. s.

2) GL V 570.

grammatico adhibitum esse probatur, habeo hoc: Sub titulo 'colustrum' (GL V 576,1) affertur Martialis locus ex epigrammaton libro XIII (38) sumptus, quem librum post Plinium mortuum editum esse constat, ut ad Plinium illud exemplum referri non possit. Eodem modo apud Charisium p. 128,21 Martialis versus affertur ad doctrinam probandam, quam a Plinii doctrina, quae subnectitur (p. 128,30), alienam esse nemo non videt, ut ne hunc quidem Martialis locum ad Plinium referre possis. Immo Capri vestigia hic manifesta esse etiam magis eo probatur, quod Martialis versus sub lemmate legitur, quod in Capri mutilatis libris adhuc extat (GL VII 109,3). Praeterea Petroni locus affertur ab hoc grammatico (GL V 578,23), qui scriptor et ipse a Plinio est alienus, ut iterum non nisi ad Caprum hic locus sit referendus. Sed dicat forsitan quispiam de suis addidisse grammaticum hos locos a Plinio alienos, cum multos inferioris aetatis scriptores afferat, qui etiam a Capro sint alieni. Cui obicio illum grammaticum eos tantum locos, quos affert ex sacra christianorum scriptura et ex scriptorum ecclesiasticorum ut Prudenti, Iuvenci, Paulini, aliorum libris, de suis addidisse. Ceteros veterum scriptorum locos ad Caprum redire iudicandum est [1]). Quod nihilo setius multis locis grammaticus ille concinit cum Plinio apud Charisium, id ita explicandum est, ut et Plinium et Caprum eosdem scriptores attulisse dicamus.

Praeterea Servium grammaticum in commentariis, quos in Vergilii carmina scripsit, Caprum non neglexisse inde apparet, quod ipse saepius legentes ad eum revocat: Serv. ad Aen. VI 545. IX 706. X 344. X 377.

---

1) cf. praeterea Fr. Marx in Prolegg. ad Lucil. vol. I p. LXVII, et considera locos quos infra afferemus sub singulis scriptoribus.

X 788 [1]). Tamen multo saepius Servius Probum laudat [2]) necnon Plinium, ut cavendum sit, ne Capri esse contendamus, quae re vera Probi vel Plini sunt. Sed magno impedimento est, ne Probum secernamus a Capro, quod Servius quae pleniora apud auctores invenit, ea contraxit et circumcidit ita, ut saepissime in adferendis locis nil nisi scriptorum nomina omissis accuratioribus additamentis laudavisse satis habeat [3]), quod tamen ad nostram quaestionem solvendam minoris monumenti esse infra videbis. Servium auctum, quem plane alienum esse a genuino Servio constat, quamquam abundat illustribus veterum scriptorum locis [4]), tamen non Capri, utpote qui nunquam laudetur, sed Probi aliorum doctrinam praebere monendum est.

Restat ut de Capro Pompei grammatici auctore pauca dicamus. Nam et ille grammaticus Capri nomen quater in suo commento affert: GL V 154,13. 175,30. 187,10. 243,21. Sed quamquam eum ipsum Caprum inspexisse locis allatis verisimile redditur, tamen Pompeius ad quaestionem hanc solvendam parvi preti est, et quod non minus saepe Probo et Plinio usus esse videtur et quod magna cum garrulitate de quaestionibus grammaticis disputans ipsam rem saepe stolide oblitterat et scriptorum locos nimis neglegenter affert, ut utrum Probum an Caprum an alium denique grammaticum adhibuerit plerisque locis in dubio relinquatur.

---

1) In Caprum Servii auctorem inquisiverunt Ioannes Kirchner in Fleckeis. annal. suppl. 8 (1875) p. 514 e. q. s.; Laemmerhirt: „De priscorum locis a Servio allatis, Jenae 1890 p. 396 e. q. s.; tum iterum Kirchner in progr. Brigae 1883.

2) cf. Iosephum Aistermann: „De M. Valerio Probo Berytio" Bonnae 1910 p. VI e. q. s. et p. LXVI.

3) cf. Ioannem Kirchner in progr. Brigae 1910 p. 19.

4) cf. Kirchner in progr. Brigae 1910 et 1911.

Consentium denique Capro usum esse, quod ut demonstraret magnam molem movit F. Goetting[1]), mihi quidem non persuasum est. Nam Consentius Caprum quidem nunquam nominat, Probum tamen affert (GL V 366,19), ut eum potius Probo quam Capro usum esse statuas. Itaque de Consentio in hac dissertatione liceat tacere, praesertim cum ille artigraphus in afferendis scriptorum exemplis saepissime scriptoris nomen omnino omittat, ceteroqui magna neglegentia utatur.

Sed iam eo ventum est, ut pauca dicam oporteat, quo modo processurus sim in hac re tractanda. Cum iam Godofredus Keil l. c. diligentissime lemmata congesserit, de quibus Caprum egisse putavit, restat, ut scriptorum locos a Flavio Capro allatos eruamus. Nam tum demum si hoc factum erit, cognosci posse puto, qualis fuerit grammaticus ille Caper, et tum, ni fallor, continget, ut Flavium Caprum secernamus a Valerio Probo et Plinio Secundo. Atque primum quidem cautissime in hac tam lubrica quaestione procedendum esse moneo, neque proficere nos posse mihi persuasi nisi fundamento certo posito. Itaque in indagandis scriptorum locis eos, qui nomine adiecto auctoris Capro adscribuntur, ubique primo loco posui, ut illis quasi fundamento inniti possimus, tum eos locos attuli, qui ideo Capro dandi sunt, quod saltem a duobus grammaticis supra nominatis afferuntur ita, ut ad eundem fontem eos redire appareat, in fine denique eos locos posui, quos aliis argumentis commotus Capro tribuendos esse putavi. Sed ut paucis comprehendam cetera id imprimis egi, ut invenirem, quomodo Caper in afferendis scriptorum locis a Probo Plinioque differat. Sed ne denique in me increpes, quod, quamquam Caprum

1) „De Flavio Capro Consentii fonte", Diss. Regimontana 1899.

duos libros scripsisse constat, alterum „de dubiis generibus" alterum „de latinitate"[1]), locos congestos non in duas partes distribuerim, moneo et saepe incertum esse ad utrum librum loci referendi sint neque totam quaestionem ita dilacerare me voluisse.

Sed iam vereor, ne amplius quam aecum est hoc prooemium factum sit. Itaque ad ipsam rem accedamus et primum quidem poetarum versus, quos Caprum attulisse puto, afferam, tum pedestris sermonis scriptores, denique grammaticos.

Caput I.

De Livio Andronico.

Poetarum Romanorum antiquissimum in Capri libris allatum se invenisse dicit Priscianus, qui hunc Livi Andronici versum ex illius libris se sumpsisse ipse testatur:

Prisc. II 96,5: 'super superus': Livius in Odyssea (26):
„Inferus an superus tibi fert deus funera Ulixes?"

Offenderunt viri docti in eo quod, cum Livium numero saturnio Odissiam conscripsisse constet, hic versus hexameter legitur, quam difficultatem expedire conati sunt aut in saturnium hexametrum commutantes aut alteri poetae hunc versum adscribentes. Tamen re vera Odissiae hunc versum hexametrum esse monemur nonnullis aliis eiusdem carminis versibus hexametris, ut Priscianum saepius eodem modo erravisse non iam liceat contendere. Versus, qui in censum veniunt, sunt hi:

Prisc. II 321,6: 'haec daps huius dapis'. sed nominativus in usu frequenti non est, quem Livius Andronicus in I Odissiae ponit (7):
„Quae haec daps est, qui festus dies?"

1) cf. G. Keil p. 12.

Prisc. II 419,14: alii 'mandui', alii 'mandidi' . . . Livius tamen in Odissia (36):
„Cum socios nostros mandisset impius Ciclops."
Prisc. II 335,2: 'hic et haec celer' vel 'celeris': Livius in Odissia (38):
„At celer hasta volans perrumpit pectora ferro."
Praeter hos haud scio an etiam Nonius Livi versum hexametrum servaverit:
Non. 475,13: 'Fite imperativo modo' . . .
Crassus lib. XVI Iliados . . .
Livius Odyssia (30):
„sic quoque fitum est",
ubi Ninni Crassi locum Capro deberi certum est, ut Livi verba ad eundem auctorem revocanda esse probabile sit.

Apparet igitur postea saturnios in hexametros versus commutatos esse [1]) propterea praecipue, ni fallor, quod in scholis tractabatur Livi Odissia (cf. Horat. Ep. II 1,69). Et potest etiam tempus accuratius circumscribi, quo ex saturniis numeris facti sint hexametri. Nam cum post Enni aetatem corriperetur vocalis longa ante t finalem [2]) ita, ut illis temporibus non iam liceret voce „mandisset", quae legitur in Livi versu a Prisciano II 419,14 allato, ut molosso uti, hunc versum vel Enni temporibus vel etiam ante Ennium ortum esse apparet. In Fl. Capri libris autem non solum illum Odissiae latinae hexametrum versum, quem Priscianus ipse dicit, sed etiam ceteros extitisse, quos hexametro numero conscriptos esse diximus, nemo negabit, ut per solum Caprum memoria Odissiae latinae hexametris versibus compositae servata sit. Itaque iam apparet, quam mirus fuerit grammaticus ille Flavius Caper, utpote qui solus omnium quos novimus grammaticorum non ut ceteri Odissiam veterem saturnis numeris conscriptam sed hexametris adierit.

1) cf. O. Ribbeck: „Geschichte der röm. Dichtung", I p. 16.

2) cf. Lindsay: „Die lat. Sprache", Lips. 1898 p. 248.

De Naevio.

Cn. Naevi versus in Capri libris non defuisse disertus testis est Pompeius:
GL V 187,10: „legimus in Capro hic Iovis huius Iovis. etiam Naevius Attius Pacuvius omnes isti utuntur hoc exemplo" [1]).
Ad quod Naevi opus hic Pompei locus spectet, non elucet. Sed Naevi versus Caprum attulisse etiam inde sequitur, quod eius mentio fit et in incerti grammatici libello et in Nonii capite III et apud Iulium Romanum. Atque dubiorum generum libelli versum e carmine belli Punici sumptum Capro dare non dubito:
Dub. nom. 591,12: Stuprum generis neutri ut Naevius (bell. Pun. fr. 38; cf. Festum p. 317): „magnum stuprum fieri per gentes."
Sed etiam nonnullos alios huius carminis locos apud Priscianum obvios Capro dandos esse iudico. Atque primum quidem hunc locum ei tribuo, cum Vergili quod antecedit (Aen. VI 685) et Enni quod sequitur (Ann. 424) exempla, quae Capri esse infra videbis, ex eodem fonte delibata esse nemo non videat:
Prisc. II 153,6 = 230,2: 'acer' communis etiam generis Naevius in carmine belli Punici (54): „fames acer augescit hostibus."
Eidem Capro do hunc locum Naevianum, quippe qui occurrat sub lemmate, quod e Capri libris se sumpsisse ipse Priscianus (II 133,25) dicit:
Prisc. II 249,7 = 338,2: Samnitis . . . huius neutrum Naevius Samnite protulit in carmine belli Punici (59).

1) cf. Prisc. II 189,6 et 229,10.

Videmus igitur Caprum attulisse „Naevius in carmine belli Punici". Sed Probum libri numerum addidisse discimus diserto eiusdem Prisciani (II 242,23) testimonio. Itaque cum Priscianus praeterea duobus tantum locis secundum Capri consuetudinem hoc Naevi carmen adferat, eos quoque locos Capro adscribere non dubito:

Prisc. II 235,21: 'decor decŏris' paenultima correpta ... quando pro 'decorus decora decorum' accipitur. Naevius in carmine belli Punici (50): „Magnam domum decŏremque ditem vexerant" aliter enim iambus stare non potest.

Prisc. II 352,1: inveni 'marum' pro 'marium', qui tamen in rarost usu genetivus, apud Naevium in carmine belli Punici (12):
„Senex fretus pietatei deum adlocutus summi
Deum regis fratrem Neptunum regnatorem
Marum", pro 'marium'.

Sed praeter carmen belli Punici etiam fabularum Naevianarum Caprum habuisse rationem e Noni locis quibusdam concludo. Nam cum alibi Nonius in afferendo Naevio operis nomen addat, duobus capitis III locis nil nisi Naevi nomen praebet, quos locos e Capro delibatos esse non audacis est contendere ideo quoque quod de lemmatibus, sub quibus extant, Caprum egisse constat:

Non. 205,27: Fretum neutri . . . masculini Naevius (trag. 53):
„dubii faventem per fretum introcurrimus"[1].

Non. 207,20: Guttur neutri . . . masculino Naevius (com. 135):
„ingurgitavit usque ad imum gutturem"[2].

1) cf. Dub. nom. 578,23. Prisc. II 170,3. Charis. 129,6.
2) cf. Dub. nom. 579,27. Prisc. II 155,7. 170,1.

De Plauto.

De Prisciani locis Plantinis Capro tribuendis nuper egit Gualtarus Schultze[1]; sed complures locos, quos ille affert, ut incertos removi, cum Probo potius eos dandos esse iudicem[2], alios addidi. Atque versus Plautini Capri nomine insignes sunt hi:

Prisc. II 97,10: 'veterior': Plautus in Bacchidibus (1150): „Senem †tibi dedo illum veteriorem, lepide ut lenitum reddas".

Idem locus repetitur Capri nomine iterum addito: Prisc. II 264,18. Praeterea:

Prisc. II 96,3: 'nuperus': Plautus in captivis (718):
„Recens captum hominem, nuperum et novicium".

Prisc. II 322,5: 'ops': Plautus in cistellaria (514 sq.)
„Itaque me Saturnus eius patruus. — Et Castor pater! —
Itaque me Ops opulenta illius avia. — Immo mater quidem!"

Prisc. II 212,6: 'hoc lacte': Plautus in Menaechmis (1089):
„Neque aqua aquae neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius."

Charis. 195,2: 'abhinc': Plautus in Mustellaria (494):
„qui abhinc sexaginta annis occisus foret."

[3]) Prisc. II 260,18: 'penus et masculini et feminini et neutri': Plautus in Pseudulo (177):
„†Nisi mihi annuus penus ab amatoribus congeratur".

Prisc. II 170,14: Plautus in Pseudulo:
„†Nisi mihi annuus penus hic ab amatoribus congeratur,
†Cras populo prostituam vos, o puellae."

1) „De Prisciani locis Plautinis" Jenae 1910 p. 37 e. q. s.
2) Amph. 161; fr. VI. Aul. 2; 555. Pseud. 10. Rud. 633. Vidul. 92.
3) cf. Schultze p. 38.

cf. Charis. 74,28: Plautus in Pseudulo eodem fere loco et masculino genere dicit hic penus et neutro hoc penus.
cf. Serv. in Aen. I 703: Plautus:
„nisi mihi annuus penus datur."
Prisc. II 500,10: 'sapisse': Plautus in rudente (899):
„Pol magis sapisset, si dormivisset domi."

Praeter locos Plautinos Capro nominatim tributos hi eidem dandi sunt:

[1]) Prisc. II 199,17: 'schema pro schemate': Plautus in Amphitrione (116):
„Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini
Quod ego huc processi sic cum servili schema."
Charis. 53,15 = 144,17: Plautus in Amphitruone:
„huc ego processi cum servili schema."
Pompei. 197,15: Plautus:
„processit Mercurius cum servili schema".
Non. 207,23: 'guttur masculino': Plautus Aulularia (304):
„etiamme obturat inferiorem gutturem".
Prisc. II 155,8: Plautus in aulularia:
„Etiamne obturat inferiorem gutturem,
Ne quid †anima forte amittat dormiens?"
[2]) Prisc. II 207,7: 'nemo, neminis': Plautus in captivis (764): neminis
Misereri certum, quia mei miseret †nemo".
Charis. 138,7: Plautus in captivis:
„neminis misereri certum est."
Non. 218,5: 'praesepia neutri sunt generis, feminino': Plautus in Curculione (228):
„quin reciperet se huc essum ad praesepim suam."
Charis. 59,11: Plautus in Curculione:
„esum ad praesepem suam."

1) cf. Schultze p. 37.
2) ibid. p. 38.

Prisc. III 10,16: 'hibus pro his': Plautus in Curculione (506):
„Eodem hercle vos †paro et pono, parissimi estis hibus."
Charis. 54,19: Plautus in Curculione: „hibus."
Non. 218,11: 'panis consuetudine masculino genere appellatur. neutro':
Plautus in Curculione (367):
„haec sunt ventris stabilimenta, pane et assa bubula."
Charis. 90,5: Plautus: „pane et assa bubula."
Non. 191,10: 'artua neutro genere': Plautus Menaechmis (855):
„ita mihi imperas, ut ego huius membra atque ossa atque artua."
Prisc. II 262,5: Plautus in Menaechmis:
„Ita mihi imperas, ut ego huius membra atque ossa atque artua
Comminuam."
Dub. nom. 592,3: Turtur generis masculini ut Plautus (Mostell. 47):
„tu tibi habeas †hos turtures."
Serv. in Buc. I 58: Turtur et masculino et feminino genere invenitur . . . Plautus: „tibi †obustos turtures."
[1]) Prisc. II 205,2: 'haec sinapis': Plautus in Pseudulo (817):
„Teritur sinapis scelera, cum illis, qui terunt
Priusquam triverunt, oculi ut extillent facit."
Charis. 144,10: Plautus in Pseudulo:
„teritur sinapis scelera, quod illi qui terit
priusquam contrivit, oculi ut extillent facit."
Serv. in Aen. IX 484: Plautus in Pseudulo:
„teritur sinapis scelera."

1) cf. Schultze p. 38.

[1]) Prisc. II 235,7: 'hic algus huius algus': idem in rudente (582):
„Tu vel suda vel peri algu vel †etiam aegrota vel vale."
Charis. 122,20: Plautus in rudente:
„tu vel suda vel peri algu."

[2]) Prisc. II 270,15: 'hoc pecu': idem in rudente (942):
„Non vides referre me uvidum rete sine squamoso pecu?"
Charis. 141,11: idem in Rudente:
„non vides referre me uvidum rete sine squamoso pecu?"

[3]) Prisc. II 280,20: 'ancipes ancipitis': idem in rudente (1158):
„Post altrinsecus est securicula ancipes itidem aurea."
Charis. 120,15: Plautus in Rudente:
„post altrinsecus est securicula ancipes."

Non. cap. IX p. 515,18: 'perplexim pro perplexe': Plautus in Sticho (76):
„utrum ego perplexim lacessam oratione ad hunc modum."
Charis. 213,26: Plautus in Sticho:
„utrum ego perplexim lacessam orationem."

Non. 220,9: 'papaver masculini':
Plautus (Trin. 410):
„†an si formicis obicias papaverem."
Charis. 83,26: Plautus.
„quam si tu obicias formicis papaverem."

---

1) cf. Schultze p. 38.
2) ibid.
3) ibid. p. 39.

Non. 217,34: 'partio': Plautus in Truculento (196):
„horresco misera, mentio quotiens fit partionis."
Prisc. II 256,2: Plautus in Truculento:
„horresco †miseram mentionem, quotiens fit, partionis."

Praeterea duo loci Plautini in de dubiis nominibus libello obvii fiunt. Alter est hic:
Dub. nom. 576,2: Colustrum generis neutri . . . Plautus (Poen. 367):
„meum mel, mea colustra."

Quem locum e Capro esse delibatum ex eo apparet, quod de eadem voce Caprum egisse discimus e Capri excerptis libellis adhuc superstitibus (GL VII 109,3), et quod Martialis versus cum hoc Plautino coniunctus Capri est (cf. sub Martiale). Itaque cum duos huius grammatici locos Capro dederimus, etiam eum qui restat Capri esse contendere audeo:
Dub. nom. 587,12: Pugnum Plautus (capt. 796) genere neutro dixit:
„†mihi haec balista pugnum est."

Videmus igitur fabularum Varronianarum ad Flavium certo referri posse versus Amphitruonis, Aululariae, Bacchidum, Captivorum, Cistellariae, Curculionis, Menaechmorum, Mostellariae, Poenuli, Pseudoli, Rudentis, Stichi, Trinummi, Truculenti, ut omnium fabularum Varronianarum Caprum rationem habuisse non audacis sit concludere. Sed etiam fabularum nunc deperditarum Caprum mentionem fecisse Priscianus docet, qui hunc Frivolariae versum ex Flavi scriniis se sumpsisse confitetur:
Prisc. II 188,26: 'une': Plautus in frivolaria (89):
„o amice ex multis mi une Cephalio."

Praeterea haud scio an etiam alter versus fabulae deperditae Capri sit, cum artissime coniungatur cum Rudentis versu 1158 Capro supra dato:
Prisc. II 280,18: 'praecipes': Plautus in commorientibus (59):
„saliam in puteum praecipes."

Sed quamquam non dubito, quin etiam maior numerus Plautinorum exemplorum in grammaticorum libris extantium ad Caprum redeat, tamen, cum accuratiora anquirere non potuerim, neque contigerit, ut Probum Pliniumve secernerem in hac re a Capro, iam ad proximum accedamus poetam.

De Ennio.

Enni annalium versus a grammaticis Capro nominatim tribuuntur hi:

Prisc. II 97,8: 'veter': Ennius (ann. 17):
„Cum veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo."

Serv. ad Aen. VI 545: 'explebo' est minuam. nam ait Ennius (ann. 309):
„navibus explebant sese terrasque replebant",
quem Caper secutus cum de praepositione 'ex' tractaret hoc exemplum posuit.

Charis. 132,6: 'hebem': Ennius XVI * [1] (annal. 426).

Praeterea Capri sunt hi annalium loci:

Non. 197,9 'caelum masculino': idem (ann. 26):
„Saturno quem Caelus genuit."
Charis. 72,13: Ennius: „quem Caelus genuit."

Non. 215,6: Nepos dici et femina potest Ennio auctore (ann. 55):
„Ilia, dia nepos, quas aerumnas tetulisti."
Charis. 90,26: advocant Ennium quod dixerit ita:
„Ilia, dia nepos, quas aerumnas tetulisti."

Prisc. II 153,9: 'Acer' et 'alacer' et 'saluber' et 'celeber', quamvis 'acris' et 'alacris' plerumque faciant et 'salubris' et 'celebris' feminina, in utraque tamen terminatione communis etiam generis inveniuntur prolata: Ennius in XVI (424).
„Aestatem autumnus sequitur post acer hiems."
Serv. ad Aen. VI 685: Ennius:
„aestatem autumnus sequitur post acer hiemps it."

1) Enni versum excidisse asterisco notatur.

Non. 197,7: 'caelum masculino': Ennius (ann. 546):
„fortis Romani quamquam caelus profundus."
Charis. 72,15: item: „quamquam caelus profundus."

Itaque Ennium a Capro allatum esse vel solo nomine vel adiecto libri numero apparet. Sed vocem „annalium" Caper addidisse non videtur. Valerius Probus autem quomodo Ennium afferre solitus sit discimus per Diomedem grammaticum, apud quem (GL I 373,5) „Ennius decimo annalium" laudatur, quem Diomedis locum Josephus Aistermann p. XLIX fr. C II recte Probo tribuit. Eadem sententia Prisciani loco fulcitur, apud quem scriptum videmus hoc: II 171,8: „'hic' et 'hoc sal'. Cato in II . . ., Afranius in Compitalibus . . ., etiam 'hoc sale' Ennius protulit in XIV annalium . . ."; sequitur subscriptio: „Supra dictorum tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenis." Hic Catonis et Afrani locos Capro tribuas, sed Enni exemplum ex alio fonte esse delibatum vel illo „etiam" monemur, ut hoc e Probo fluxisse sequatur. Itaque ubi affertur velut „Ennius in I annalium" Caper auctor non agnoscendus.

Praeter annales etiam scaenicam Enni poesin Caprum novisse inde concludo, quod Nonius, qui alibi Enni fabulas affert nomine adiecto, quattuor locis Enni nomen tantum laudat, ut e grammatico illos locos desumptos esse verisimile sit. Atque unus ex iis (Enn. scen. 12 V.), qui extat in Noni capite II p. 129,24 e Gellio (XIX 8,6) originem traxit. Qui restant ad unum omnes in Noni capite III inveniuntur. Sunt hi:

Non. 198,2: quis et generi feminino adtribui posse veterum auctoritas voluit: Ennius (scaen. 386 V.):
„et quis illaec est quae lugubri succincta est stola."

Non. 205,29: 'fretum masculini': Ennius (scaen. 382):
„crassa pulvis oritur, omnem pervolat caeli fretum."

Non. 196,29: 'caementa feminini': Ennius (scaen. 383):
„labat, labuntur saxa, caementa cadunt."

Quorum versuum primum Nonium e Flavio Capro sumpsisse eo demonstratur, quod etiam Pompeius grammaticus eum affert:

GL V 206,28: „quis mulier" habemus et in Ennio.

Quae cum ita sint, etiam ceteros quos attuli versus Ennianos Capro tribuo. Neque vero scaenicae Enni poesis locum in dubiorum nominum libello qui occurrit Fl. Capro dare dubito, cum extet sub titulo, de quo Flavium egisse constat [1]):

Dub. nom. 574,24: Clipeus generis masculini ut Ennius (scaen. 418) „cecidit clipeus."

Sed Flavius Caper ut erat cupidus librorum remotorum etiam Enni opus, quod Protrepticon inscribebatur, videtur adiisse, cuius operis semel apud Charisium fit mentio:

Charis. 54,19: Ennius in protreptico: „pannibus."

Quem locum Capro deberi eo probatur, quod tam arte cum Plauti (Curc. 506) et Cn. Gelli locis e Flavi scriniis deductis qui antecedunt coniungitur, ut exo uno eodemque fonte eum sumptum esse primo obtutu appareat.

Liceat denique locum ex nescio quo Enni libro sumptum afferre, quem, cum in incerti grammatici libello, quem maxima ex parte e Capro excerptum esse prope certum est, occurrat, eidem Capro tribuendum esse probabile est:

Dub. nom. 584,26: Nix generis feminini, ut Ennius (inc. 11): „hae nives."

De Pacuvio.

Pacuvi duo loci Fl. Capro nominatim adscripti apud grammaticos occurrunt:

1) cf. Serv. ad Aen. IX 706. Charis. 77,14. Non. 196,21.

Charis. 195,1: 'abhinc': Pacuvius in Armorum iudicio (22):
„seque ad ludos iam inde abhinc exerceant."

Pompei. 187,10: legimus in Capro hic Iovis huius Iovis. etiam Naevius Attius Pacuvius (inc. LX) omnes isti utuntur hoc exemplo.

Praeterea Capro do hunc locum Pacuvianum:

Non. 197,34: 'quis et genere feminino': Pacuvius (239):
„quisquis tu es mulier, quae me insueto nuncupasti nomine?"

Pompei. 206,27: „quis tu es mulier, qui me hoc nuncupasti nomine?" 'quis mulier' habemus et in Ennio et in Pacuvio.

Quem locum eo etiam citius Capro tribuo, quod Nonius, qui alibi adicere solet fabularum nomina, hic a consueto afferendi modo recedit.

De Caecilio.

Caecili Stati a Prisciano disertis verbis Flavio adsignatur hic locus:

Prisc. II 354,10: 'hic' et 'haec memoris' et 'hoc memore' . . . in quo testis est Caper, antiquitatis doctissimus inquisitor. ostendit enim Caecilium in epiclero (30) sic protulisse:
„Itane Antipho †inventus profluvia fide?
Itane est inmemoris, itane est madida memoria?"

qui locus iterum legitur Capri nomine omisso apud eundem Priscianum II 235,12.

De Terentio.

Terenti versus Capri nomine insignis unus tantum invenitur:

Charis. 194,29: 'Alias pro aliter' Terentius in Andria (529):
„quid alias malim quam hodie istas fieri nuptias."

ubi Fl. Caper de Latinitate „non ausim adfirmare pro aliter dici. nam neque pronomen est neque adverbium temporis" [1]).

Praeterea Capro dandos esse iudico hos locos:

Non. 223,11: 'salis genere masculino' Terentius (Eun. 399) [2]):
„labore alieno magno partam gloriam
verbis saepe in se transmovet qui habet salem;
quod in te est."

Prisc. II 147,2: Terentius in eunucho:
„†qui habet in se salem."

Non. 222,5: Rastros genere masculino dicimus, ut apud Vergilium et Terentium.

Serv. ad Georg. I 94: „at istos rastros interea depone" in Terentio (Heaut. 88).

Denique Flavio Capro adscribendum esse puto hunc locum, ut qui legatur in incerti grammatici libello sub titulo Flaviano (cf. GL VII 111,13):

Dub. nom. 591,10: Stimulus generis masculini ut Terentius (Phorm. 78):
„nam quae inscitia est, adversus stimulos calces."

Perpauca sane pro multitudine exemplorum Terentianorum a grammaticis allatorum ad Caprum certo iudicio revocare potuimus. Id tamen constare videtur etiam earum fabularum Caprum habuisse rationem, quarum exemplum, quod ei dandum sit, non indagavimus.

De Accio.

Acci fabulas Caprum non neglexisse Priscianus est testis, qui duos huius poetae versus se apud Flavium invenisse dicit:

Prisc. II 264,14: 'veter': Accius in Hecuba (481):

1) cf. Caprum GL VII 97,16.
2) Alibi Nonius fabulae nomen addit.

„Veter fatorum terminus sic iusserat."

Prisc. II 321,25: 'ops': Accius de Hercule dicens (669):
„quorum genitor fertur esse ops gentibus",
pro 'opem ferens et auxilium gentibus'.

Etiam Pompeius Caprum Accii scrinia adiisse testatur cum dicit:

Pompei. 187,10: legimus in Capro 'hic Iovis huius Iovis.' etiam Naevius Attius (inc. XLI) Pacuvius omnes isti utuntur hoc exemplo.

Quem Acci versum Pompeius in Capri libris legerit discimus per Priscianum, qui affert hunc versum, in quo Iovis nominativus est casus:

Prisc. II 229,13: Accius in Epinausimache (331):
„Lucifera lampade abietem exurat Iovis."

Praeterea Capro attribuendus est hic versus:

Non. 208,2: 'gelu masculini': Accius Prometheo (390):
„tum profusus flamine hiberno gelus."

Prisc. II 211,8: Accius in Prometheo:
„profus flamine hiberno gelus"

ideo quod Nonius alibi hanc Acci fabulam neglegit, ut grammatico surreptum esse locum sequatur.

Praeter fabulas Acci annales Caprum attulisse hic Noni locus est testimonio:

Non. 193,24: Alvus . . . masculino Accius Annalibus (5):
„ut quam fragilissimus alvos."
et alius auctoritatis obscurae (Acc. Ann. 1):
„Maia nemus retinens gravido concepit in alvo."

Totum hunc locum Nonium e grammatico sumpsisse inde apparet, quod nusquam alibi Accii annales affert, et quod alteri versui ut titulum proposuit verba: „alius auctoritatis obscurae", quae verba impudenter locis grammatico alteri surreptis vel proponere vel subnectere solet ut saepius Gellianis [1]). Illud autem, quod alterum versum alteri poetae videtur adscribere, Noni

1) cf. Non. p. 39,19; 171,23; 493,5; alib.

neglegentiae tribuendum esse puto. Nam re vera ambos versus Acci esse docet Priscianus, qui utrumque sub eodem lemmate affert:

Prisc. II 268,17: Accius in annalibus:
„ut quam fragilissimus alvus."

Prisc. II 163,4: Accius annali I:
„Maia nemus retinens gravido concepit in alvo."

Sed ne omnino dubitari possit, quin e Capro illi loci Acciani originem traxerint, afferam hos duos locos:

Caper GL VII 107,12: „alvus haec nunc, sed apud Accium [1]) hic"; et

Charis. 81,2: Alvum . . . masculine . . . Accius frequenter.

Sed iam ad fabularum togatarum poetas accedamus.

De Titinio.

Titini unum locum Priscianus se apud Caprum invenisse dicit:

Prisc. II 129,15: Titinius in psaltria (85):
„Ferentinatis populus res Graecas studet",
pro 'Ferentinas',

quem locum Priscianus omisso Capri nomine iterum affert II 338,9.

De Afranio.

Afranium alterum togatae fabulae poetam quinquiens ita allatum legimus, ut e Fl. Capro eius versus sumptos esse pateat:

Prisc. II 500,6: 'resipivisse': Afranius in Brundisinis (16):
„Equidem nunc resipivi, postquam pectus est laetitia onustum."

Prisc. II 171,9: 'hic et hoc sal': Afranius in Compitalibus (30):

1) sic absurdum illud 'apium' quod praebent libri manuscripti Henricum Keil (in adn. ad h. l.) secutus emendo.

„ut quicquid loquitur, sal merum est" [1]).

Prisc. II 170,23: 'hic et haec et hoc penus et hoc penum': Afranius in talione (328):
„Vos quibus cordi est intra tunicam manus laeva, dextra intra penum
Erile."

Prisc. II 261,7: 'hoc penum' etiam Afranius protulit:
„in penum erile."

Charis. 145,26: 'testu': Afranius (420):
„indignum vero dici solet testu."

Praeter hos locos Flavio diserte tributos hunc eidem dandum investigavi:

Charis. 105,17: Sagum neutro genere. sed Afranius in Deditione (43) masculine:
„quia quadrati sunt sagi."

Dub. nom. 591,9: Sagus generis masculini ut Afranius:
„quia quadrati sunt sagi."

De Pomponio.

Neque Atellanarum fabularum scriptores Caper praeteriit, nam Pomponi, Novi, Mummi certo argumento ad Caprum revocare possumus versus. Atque Pomponi hunc locum Priscianus e Capri libris se delibasse ipse dicit:

Prisc. II 509,1: 'conquinisco conquexi': Pomponius in vacca vel marsuppio (170):
„simul intro veni, accessi ad patrem, prendi manum;
In terram ut cubabat nudam ad eum ut conquexi, interim
Mulieres conspiciunt."

Praeterea hi Pomponi versus ad Caprum referendi sunt:

1) cum Enni versum, qui sequitur, Capro abiudicaverimus (cf. supra p. 21) hunc Capri esse sequitur.

Charis. 77,18: 'clipeum neutraliter': Pomponius in Capella (29):
„clipeum in medium fixum est."
Dub. nom. 574,25: Pomponius:
„clipeum in medium fixum est."

Prisc. II 144,6: 'hic et haec conviva': Pomponius in auctorato (16):
„conveni omnes convivas meas."
Charis. 52,9: Pomponius in Auctorato:
„postquam convenio omnes convivas meas."

De Novio.

Alter Atellanarum fabularum poeta quinquiens affertur a Prisciano. Atque duos locos e Nonio Priscianus mutuatus est (Prisc. III 71,1 = Non. 510,15; Prisc. II 499,21 = Non. 508,20). E ceteris Novii locis unus a Prisciano tam arte cum Capri nomine coniungitur, ut Capro eum tribuere non dubitem:

Prisc. II 204,3: 'hoc cepe': Novius in eculeo (18):
„oleas, cepe, ficus."
Varro de actionibus scenicis III . . . Caper tamen et 'cepicius' et 'cepicium' veteres dixisse ostendit [1]).

Alter Novi versus a Prisciano allatus arte conectitur cum Mummi loco procul dubio Capro dando (fr. 6), ut ambos locos ex eodem fonte fluxisse appareat:

Prisc. II 546,16: 'salliturus et salsurus': Novius (117):
„salliturus istaec est, mittam salem", Mummius:
„salsurus."

Quae cum ita sint, etiam Novi versum a Prisciano allatum qui restat Capro dari concedes, praesertim cum et ille sub titulo legatur, de quo Caprum egisse constat per Capri mutilatum de verbis dubiis libellum (GL VII 109,16). Locus est hic:

1) cf. infra sub Varrone.

Prisc. II 168,18: 'forceps etiam feminino genere': Novius in lignaria (42):
„Signare oportet frontem calida forcipe."

De Mummio.

Flavium Caprum ne hunc quidem Atellanarum fabularum poetam praeteriisse Charisius docet his verbis:

Charis. 145,23: Testu et genu Fl. Caper veteres ait uti solitos: Mummius in Atellania (1): †„riunius Ad spectacula est videre in testu quantum sit caput."

Praeterea haud scio an huc pertineat etiam hic Noni locus:

Non. 229,10: Testa genere feminino saepe invenitur. Neutro apud obscurae auctoritatis sed summos scriptores legimus.

Hic „obscurae auctoritatis" scriptorem Mummium esse conicere licet, ut concludendum sit Nonium e Capri libris hanc doctrinam detraxisse. Sed si quis dixerit e deperdito Gelli libro VIII hunc Noni locum esse desumptum, certo quidem argumento eum refellere non potero. Praeter hunc locum Mummi versus occurrit apud Priscianum:

Prisc. II 546,17: 'salliturus et salsurus': Mummius (fr. 6): „istaec sum multo sale salsurus",

quem locum eidem Capro dandum esse perspicuum est, cum praeter locum Charisii solus occurrat apud grammaticos, quos Capri copiis usos esse constat.

De Laberio.

Decimi Laberi mimorum scriptoris quamquam versus servati sunt et a Nonio et a Charisio et a Prisciano, tamen ad Caprum nullum certo revocare potui iudicio praeter hunc unum:

Charis. 101,4: Clunes feminino genere dixit Melissus et habet auctorem Laberium, qui in Ariete (7) sic ait: „vix sustineo clunes."

Quem Laberi locum Capro tribuendum esse inde elucet, quod et Melissi qui antecedit et Horati, Scaevolae, Calvi, qui secuntur, memoria e Capro fluxit (cf. sub illis), ut Charisii locum inde a p. 101,4 usque ad 101,16 integrum ad Caprum redire statuendum sit. Sed quamquam non dubito, quin praeterea nonnulli alii Laberi versus e Capri libris desumpti apud grammaticos extent, tamen certum quidquam proferre non audeo ideo quoque quod etiam Probum Laberi fabulas commemorasse constat [1]).

De Lucilio [2]).

C. Lucili duo versus obvii sunt Capri nomine insignes:

Charis. 145,20: hic et haec canes a Lucilio libro I (2) dictum legimus.

Integer Lucili versus Capri nomine omisso extat apud eundem Charisium:

Charis. 125,19: Lucilius I (2):
„inritata canes quam homo quam planius dicit."

Praeter hunc versum Capro dantur hi a Prisciano:

Prisc. II 535,2: Caper tamen 'lacessi' dicit esse ut 'facessi' et profert exemplum Lucilii, quo usus est in XIV (478):
„Num vetus ille Cato †lacessisse appellari quod Conscius non erat ipse sibi?"

Prisc. II 260,20: 'penus et masculini et feminini et neutri': Lucilius (1205):
„magna penus parvo spatio consumpta peribit."

1) cf. Josephi Aistermann indicem l. c. p. LXVIII.

2) De Lucili versibus Capro vindicandis cf. Fridericum Marx in Lucili editionis vol. I Prolegg. p. LXV e. q. s.

Idem Lucilianum extat in farragine illa verborum a Prisciano et Capro et Probo tributorum II 170,18, ut etiam hic Capri non Probi esse appareat, nec non in Noni capite III p. 219,30. Tum in Capri orthographia quae dicitur obvium fit hoc Lucilianum:

GL VII 98,2: lactens lacte abundans, ut „lactentes ficus" Lucilius (1198) [1]).

Praeterea Capro certo attribuendi sunt hi versus Luciliani:

Non. 206,14: 'forum masculini': Lucilius lib. III (146):
„Romanis ludis forus olim ornatus lucernis."

Charis. 71,30: Lucilius libro III:
„forus olim ornatus lucernis."

Charis. 105,8: Paniculae *πρωτότυπον* panus est: Lucilius in VIII (298):
„subteminis panus."

Prisc. II 115,16: 'panus panucula': Lucilius in VIII:
„Intus modo stet rectus subteminis panus."

Non. cap. II p. 149,23: Lucilius lib. IX:
„foris subteminis panus."

Non. 219,5: 'palumbes masculino': Lucilius lib. XIV (453):
„macrosque palumbes."

Charis. 106,28: Lucilius XIV:
„macrosque palumbes."

Charis. 72,30: Pistrinum neutraliter dicitur; sed Lucilius XVI (521):
„media e pistrina."

Dub. nom. 885,4: Pistrinum generis neutri, sed Varro *[2])
„media est pistrina."

Cum grammaticum, qui de dubiis nominibus libellum scripsit, unum Lucili versum Capro debere viderimus,

1) cf. Marx in comm. ad h. l. in Lucil. ed. vol. II p. 379 e. q. s.

2) excidit Varronis exemplum et Lucili nomen; cf. comm. ad h. l. in Lucil. ed. vol. II p. 195.

etiam tres qui restant ad eundem Caprum referendos esse concludo, praesertim cum duo extent sub titulis, de quibus Caprum egisse constat:

Dub. nom. 584,24: Nasum generis neutri, ut Lucilius (935):
„nasum hoc corpusque scutum" [1]).

Dub. nom. 590,9: Saccus generis masculini ut Varro* (Lucil. 1155) [2]).
„vinum cui nihil sacculus abstulit."

Dub. nom. 588,1: Porrum generis neutri sed Varro* (Lucil 1370) [3]):
„ponuntur tenues porri."

Ergo Caprum Lucilium afferre consuevisse libri numero adiecto (vel etiam solo nomine) satirarum voce omissa ex locis allatis apparet. At Probum velut „Lucilius in satirarum libro I" dixisse elucet ex hoc Diomedis loco:

GL I 369,23: Lucilius satirarum quinto: „tum retia nexit",

quo loco Diomedem Probo usum esse recte statuit H. Keil [4]), uberiore disputatione probavit Fr. Marx [5]). Sed iam dicat quispiam, quae cum ita sint, omnes Charisii locos, ubi Lucilius affertur satirarum voce omissa, libri numero adiecto, Capro adsignandos esse. Tamen hoc facere non audeo, cum Plinius eodem modo atque Caper in afferendis Lucili versibus usus esse videatur (cf. Charis. 78,8 e. q. s. et 123,10 e. q. s.). Illud autem certo concludi potest Lucili versus inde a libro I usque ad librum XXV in Noni capite III secundum Capri consuetudinem allatos e Capri libris delibatos esse,

1) de eodem lemmate cf. Non. 215,2.
2) a Cicerone de fin. II 23 hic versus Lucilio datur.
3) de hoc versu Lucilio adscribendo cf. Marx in comm. ad h. l.; de lemmate cf. Charis. 104,7.
4) GL I p. LII.
5) in Prolegg. ad Lucil. p. LXXI.

quia Nonius, si e suis ipsius studiis Lucilium affert, semper libros XXV priores affert genetivo „satirarum" addito [1]). Itaque praeter eos quos supra attulimus hos versus Lucilianos apud Nonium obvios Capro tribuimus [2]):

Non. 212,13: 'latrina genere neutro': Lucilius lib. VI (253):
„†hoc tu apte credis quemquam latrina petisse."

Non. 215,2: 'nasus neutri': Lucilius lib. VII (267):
„quos? oculi non sunt neque nasum? et qualia sunt!"

Non. 217,22: posticam feminino genere consuetudine appellamus. neutro Lucilius lib. VIII (312):
„pistrinum adpositum, posticum, sella, culina."

Non. 212,8: 'latrina genere feminino': Lucilius lib. XI (400):
„qui in latrina languet."

Non. 220,21: 'prosecta feminino': Lucilius lib. XIV (473):
„cenam, inquit, nullam neque divo †prosiciam ullam."

Non. 215,4: 'nasus neutri': idem lib. XXII (582):
„nasum rectius nunc homini est suraene pedesne."

De Laevio.

Si A. Schottus recte apud Charisium p. 145,21 Laevii nomen restituit (p. 6 adn. 2) Caprum Laevi carmina attulisse Iuli Romani diserto testimonio constat:

Charis. 145,19: Torques, hic et haec torques . . . dixisse veteres Caper his exemplis docet: Laevius* Cypriae Iliadis libro I:
„collum marmoreum torques gemmata coronat."

1) cf. indicem in Fr. Marx Prolegg. p. LXXXVIII e. q. s.
2) Non 214,17: Lucilius lib. XVI (519):
„legat uxori mundum omne penumque"
e Gellio IV 1,3 videtur esse desumptum.

Hoc loco corrupto Laevi versum excidisse et versum allatum Ninni Crassi esse supra diximus (p. 6). Sed fac non e Laevi et Ninni exemplis hunc locum conflatum esse, sed Ninni nomen a codicis scriptore in „neuius" corruptum esse, ita ut Laevius hic omnino non adsit, tamen Caprum Laevi carmina pervolvisse probabiliter potest demonstrari. Nam Laevi carminis quod „Adonis" inscribebatur unus tantum versus aetatem tulit, quem Priscianus tam arte cum Gracchi tragici versu e Capro sumpto (cf. infra sub Graccho) coniungit, ut ambos locos ex eodem Capro fluxisse putem:

Prisc. II 269,6: 'humus etiam neutrum': Laevius in Adone (6): „humum humidum pedibus fodit."

Praeterea Laevi Protesilaodamiae versum in Noni capite III obvium Capro do, cum Nonius praeterea semel tantum hoc carmen afferat (p. 116,8 e. q. s.), et cum Ciceronis locus sub eodem titulo obvius eiusdem Capri esse certum sit (cf. infra sub Cicerone):

Non. 209,24: Iocus genere masculino. Cicero pro Caelio (46) . . . Neutro Laevius Protesilaodamia (14):

„in eum inruunt cachinnos,
ioca, dicta risitantes."

Et quamquam non dubito, quin Priscianus etiam plura Laevi exempla Capro debeat, tamen certi quidquam proferre non audeo.

De Ninnio Crasso.

Ninni Crassi igitur est versus a Iulio Romano (Charis. 145,21) Laevio tributus. Crassum autem Iliadem scripsisse etiam Nonius tradit, qui in capite VII quod inscribitur „de contrariis generibus verborum" hunc locum affert, quem Capro deberi diximus (p. 7):

Non. 475,14: 'fite imperativo modo': Crassus lib XVI Iliados (3):

„socii nunc fite viri."

Sed cum praeterea duo tantum Ninni versus aetatem tulerint, qui extant in Prisciani institutionum libris VIII et X, qui libri Capri doctrina abundant, illos quoque Capro nostro iure tribuemus:

Prisc. II 502,24: 'potior' secundum quartam coniugationem producta paenultima protulit Ninnius in Iliadis secundo (2):

„penetrat penitus thalamoque potitur."

Prisc. II 478,12: 'coniveo' praeteritum tam in 'vi' quam in 'xi' habuit: Ninnius Crassus in XXIV Iliados (4):

„nam non conivi oculos ego deinde sopore."

Quae si recte disputavimus, per solum Caprum huius poetae memoriam esse servatam vides, cum praeterea nec vola nec vestigium extet Ninni illius Crassi.

De Lucretio.

Lucreti Cari versus ad doctrinam suam probandam Caprum attulisse ex eo colligitur, quod et in incerti grammatici libello et apud Iulium Romanum Lucreti nomen occurrit. Atque dubiorum nominum libelli versum Capro dabimus:

Dub. nom. 593,9: Vomer generis masculini ut Lucretius (I 314):

„decrescit vomer in arvis" [1]).

Praeterea haud scio an hic versus Lucretianus, qui in Noni capite III extat, Capri sit ideo quod alio modo Nonius eum affert atque tunc solet si ex suis studiis Lucretium laudat:

Non. 197,2: Caelum neutro. masculino: Lucretius (II 1097):

„quis pariter caelos omnis convertere et omnis
ignibus aetheriis terras suffeire feracis?"

---

1) de eodem lemmate cf. Prisc. II 249,18.

cf. Pompei. 162,32: hoc caelum dicimus et hi caeli; „quis totidem vertat caelos" Lucretius dixit.
Et quamquam non dubium esse puto, quin etiam maior numerus exemplorum Lucretianorum ad Caprum auctorem redeat, tamen mitto eos ut incertos.

Sed iam ad poetas inferioris aetatis adcedamus. Atque primum quidem poetas, qui dicebantur novi vel *νεώτεροι* vel cantores Euphorionis (cf. Cic. or. 48,161. ad Attic. 7, 2, 1. Tusc. 3, 19, 45), quantopere in deliciis habuerit Caper videamus. Multos enim huius generis poetas doctrinae suae testes produxit, ut Calvum, Bibaculum, Catullum, Cinnam, alios.

De Licinio Calvo.

Calvi hunc locum affert Nonius in capite III p. 198,8: Cinis masculino . . . feminino aput Caesarem et Catullum et Calvum lectum est, quorum vacillat auctoritas (Calv. 15):
„cum iam fulva cinis fuero."
Quem Noni locum e grammatico sumptum esse eo demonstratur, quod Nonius praeter unum locum (p. 133,22), ubi Calvi versum Gellio (IX 12,10) surreptum affert, nusquam huius poetae facit mentionem, et quod verba „quorum vacillat auctoritas" huic loco inserit, quod tunc eum facere solere diximus, si doctrinam praebet, quam ab alio grammatico mutuatus est. Atque re vera Capri hunc locum esse inde apparet, quod eandem doctrinam praebet
Charisius 101,10: feminino genere dixit cinerem ut Calvus in carminibus (15):
„cum iam fulva cinis fuero."
Atque Calvi locum qui artissime cum hoc Charisiano coniungitur ex eodem fonte deductum esse nemo non videt:
Charis. 101,13: item (16):
„forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis."

Praeter hos locos nescio an etiam hic Calvi versus a Charisio allatus Capri sit, cum Cinnae, Laberi, Acci qui secuntur loci, omnes e Capro originem traxerint et Calvi locum ex eodem fonte fluxisse primo obtutu eluceat:
Charis. 80,20: 'alvum masculine' Calvus (14):
„partus gravido portabat in alvo."
Sed quamquam a similitudine veri non abhorret etiam alios locos et a Charisio et a Prisciano allatos ad Caprum revocandos esse, tamen, ne coniecturis infirmioribus obstringar, illos praeteream.

De Furio Bibaculo.

Furi Bibaculi carmina Plinium novisse per Iulium Romanum discimus, qui apud Charisium (127,12) Bibaculi versum Plinio disertis verbis adscribit. Neque Valerium Probum eum ignoravisse concludo ex Probi minoris, qui dicitur, catholicis (GL IV 29,12), quem librum ex iis quae nobilissimus grammaticus scripta reliquerat excerptum esse Henricus Keil docuit (GL IV p. XXVI). Sed etiam Caprum Furi Bibaculi versus attulisse ex eo colligo, quod Bibaculi memoriam servavit praeter Romanum incertus ille grammaticus. Et quamquam Romanus Furi versum Plinio se debere ipse dicit, tamen non dubito, quin eiusdem poetae versus in dubiorum nominum libello servatus Capro sit dandus, quia illo libello Capri doctrinam quamvis mutilatam servatam esse intelleximus:
Dub. nom. 573,19: grabatum generis neutri ut Bibaculus (6): „nam meo grabato."

De Catullo.

Semel Catullus, novorum poetarum facile princeps, ita affertur, ut e Capro eius exemplum desumptum esse nemo possit negare:

Prisc. II 188,23: 'une': Caper doctissimus antiquitatis perscrutator ostendit hoc usum Catullum et Plautum. Catullus (37,17):

„Tu praeter omnes une de capillatis
†Celtiberosae Celtiberiae fili."

Eundem locum Capri nomine omisso iterum ponit idem Priscianus II 305,11. Praeterea ad Caprum auctorem referenda est Catulli memoria servata ab

Nonio 198,11: Cinis . . . feminino aput Caesarem et Catullum et Calvum lectum est, quorum vacillat auctoritas.

Totum hunc locum Capri esse inde concluditur, quod et Caesaris, quod antecedit, et Calvi, quod sequitur, nomen Capro debetur (cf. sub Caesare et Calvo). Sed utrum Nonius in Capri libris allatum invenerit hunc versum Catullianum:

68,90: „Troia virum et virtutum omnium acerba cinis", an hunc:

101,4: „Et mutuam nequiquam alloquerer cinerem", an denique ambos non iam discerni potest.

De Helvio Cinna.

Cinnae carminis, quod Smyrna inscribebatur, hunc locum certo Flavio tribuo:

Prisc. II 268,20: 'haec alvus huius alvi', quod veteres frequenter masculino genere protulerunt: Cinna in Smyrna (9):

„at scelus incesto †Cinyrae crescebat in alvo."

Charis. 80,22: Helvius Cinna:

„at scelus †incestum turpi crescebat in alvo."

Quem locum eo etiam magis Capro do, quod apud Priscianum Acci annalium versus et apud Charisium Calvi, Laberi, Acci exempla cum Cinnae coniuncta Flavi Capri sunt. Sed etiam Nonius a Capro Cinnae versum est mutuatus. Nam cum praeter duos locos (p. 546,26 et 87,27), quorum de origine non constat,

semel tantum Nonius Cinnam laudet in capite III, e grammatico hunc locum sumptum esse licebit contendere. Et cum sub titulo Flaviano, ut ita dicam, Cinnae versus legatur, etiam eum ipsum Capro adsigno:

Non. 202,29: 'cummi feminino': Cinna (13):

„Alpinaque gummis" [1]).

Sed cum poetas novos illustriores, quorum saepe apud veteres grammaticos mentio fit, enumeraverimus, iam ad obscurioris auctoritatis quosdam transeamus, quorum vel unus vel duo tantum versus omnino superstites sunt.

De Ticida.

Ticidae duo tantum frusta aetatem tulerunt, quorum alterum, cum legatur apud Suetonium (de gramm. 11 p. 109 Reiffersch.), non in censum venit. Alter Ticidae locus legitur apud Priscianum:

II 189,2: 'sole': Ticidas in hymenaeo (1):

„felix lectule talibus
sole amoribus."

Quem locum e Flavio Capro originem traxisse maxime est verisimile cum arte coniungantur cum hoc loco Catulli et Plauti versus Capro diserte tributi.

De C. Memmio.

Eodem fere modo res se habet apud C. Memmium, cuius poeseos alterum frustulum extat in Capri orthographia quae dicitur:

GL VII 101,17: 'hoc macellum': Memmius (2):

„ista macella."

Alter Memmi locus in Noni capite III occurrit, qui locus ad eundem Caprum referatur oportet.

Non. 194,30: Clivus generis masculini ut plerumque. Neutri apud Memmium (1) cuius auctoritas dubia est:

„ne ardua nitens fortunae escendere cliva."

1) cf. Charis 63,5. 143,31. Prisc. II 145,13.

Videmus igitur per solum Caprum Memmianae poesis exempla quamvis exigua nobis esse servata [1]).

De Volumnio.

Hic afferendum esse puto etiam Volumnium illum ignotum poetam, cuius ab antiquis scriptoribus omnino non mentio fit nisi ab incerto illo grammatico, qui de dubiis nominibus libellum conscripsit, quem poetam Franciscus Buecheler [2]) eundem esse coniecit atque illum P. Volumnium Eutrapelum, cui Cicero scripsit epistulas (ad fam. 7,32 et 33) [3]) et quem Aemilius Baehrens recte cantoribus Euphorionis videtur inseruisse (Fr. P. R. p. 326). Volumni versus hendecasyllabus igitur, qui solus aetatem tulit, est hic:

Dub. nom. 574,1: Cyma, alii cymam ut Volumnius:
„stridentis dabitur patella cymae."

Quem locum Fl. Capri esse idcirco quoque puto, quod legitur sub lemmate e Capro desumpto (cf. Non. 195,3 et Charis. 56,8), ut iterum appareat, quam mira cupiditate remotorum scriptorum Caper fuerit.

De Q. Mucio Scaevola.

Non longe aliter res se habet in Scaevolae poesi. Nam praeter unum locum, quem affert Cicero (de legg. I 1,1), duo tantum Mucianae poesis verba servata sunt, quae in Capri scriniis extitisse patere equidem arbitror:

1) haud scio an etiam hic locus e C. Memmi oratione sumptus eiusdem Capri sit, cum occurrat in copiosa illa silva exemplorum ad verborum genera constituenda allatorum, quae exempla magna ex parte ad Caprum redire ipse Priscianus (II 393,9 et 393,13) dicit:
Prisc. II 386,4: Gaius Memmius: „quam stulte conficta quam aperte sunt ementita", ἐψευσμένα.

2) in Fleckeis. annal. vol. 111 (1875) p. 126.

3) cf. Horat. epp, I 18,31.

{Charis. 101,7: 'Clunes feminino genere': Scaevola (2):
„lassas clunes."
Dub. nom. 575,24: Scaevola: „lassas clunes."

Intellegimus iam, quantopere Fl. Caper in deliciis habuerit Euphorionis cantores, quippe qui praeter nobiliores poetas etiam obscurorum poetarum carmina noverit ut Ticidae, Memmi, Volumni, Scaevolae. Sed iam dimittamus τοὺς νεωτέρους.

De Varrone Atacino.

P. Terenti Varronis Atacini unum versum Capro certo tribuere possumus:

Non. 191,23: 'angues feminino': Varro Atacinus (8):
„cuius ut aspexit torta caput angue revinctum."
Charis. 90,18: Varro Atacinus:
„cuius ut aspexit torta caput angue revinctum."

Hunc locum eo certius Capro do, quod hic Atacini versus solus apud Nonium occurrit, ut eum e grammatico sumptum esse pateat. Sed quamquam haud scio an etiam ceteri Atacini versus apud Charisium et Priscianum obvii aut omnes aut magna ex parte ad Caprum fontem redeant, tamen, cum certo argumento niti non possim, eos praeteream.

De Cilnio Maecenate.

Maecenatis hic locus Capro dandus est:

{Charis. 79,23: Catinus masculino genere dicitur, ut Maecenas in X (8):
„†iugeribus fumans calido cum farre catinus."
Dub. nom. 575,1: Maecenas: „et fumantes calido cum farre catinos."

Eo non offendendum est, quod discrepant grammatici in afferendo Maecenatis versu, nam et Charisi codex Neapolitanus ut multis locis etiam hic corruptus videtur esse, et incerti grammatici libellum saepissime lacerum et mancum esse eo explicatur, quod genuina huius

libelli forma maxime est turbata atque concisa. Praeter locum allatum bis mentio fit Maecenatis in de dubiis nominibus libello, quos locos eidem Capro dare non dubito, praesertim cum alter legatur sub titulo de quo Caprum egisse constat:

Dub. nom. 591,28: Tornum generis masculini ut Maecenas (9): „cardine torno."

Dub. nom. 588,21: Quirites singularem numerum non habet quamquam Maecenas (10) dixit Quiritem [1]).

De Vergilio.

Iam ad eum poetam ventum est, cuius longe plurimi versus apud inferioris aetatis grammaticos inveniuntur. Itaque non mirum est etiam Flavium Caprum Vergili versus ad doctrinam suam probandam attulisse. Sed, cum nemo fere grammaticorum Vergili opera neglexerit et praecipue Probus crebrissimus fuerit in Vergilio laudando, summa opus est diligentia, ne temere Capro demus, quae re vera alteri grammatico tribuenda sunt. Praecipue caveamus, ne nimis confidamus Servio, cum ubique fere difficile sit dictu, utrum ille versus Vergilianos, quos affert, e grammatico an ex suis ipsius studiis traxerit, praeterea Servium multo saepius Probum adiisse monuimus quam Caprum. Et ne illos quidem Vergili versus, qui in Capri mutilatis libris qui dicuntur extant, continuo Capro dare audeo, cum eos, qui e genuinis Capri libris hoc excerptum perturbatum confecerunt, hunc illum Vergili versum de suis addidisse maxime sit verisimile. Ita fit, ut pro ingenti exemplorum Vergilianorum silva pauca ad Caprum revocari possint.

Atque Bucolicorum hos versus Capro dandos esse puto:

1) cf. Prisc. II 134,2; Pompei. 176,31.

Prisc. II 356,14: 'boves generis feminini':
Virgilius in bucolico (I 9):
„Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum."
Dub. nom. 572,27: Boves generis feminini ut Virgilius:
„meas errare boves."

Non. 200,7: Caseus generis masculini. Vergilius in Bucolicis (I, 34):
„pinguis et ingratae premeretur caseus urbi."
Charis. 79,15: Vergilius:
„pinguis et ingratae premeretur caseus urbi."
Dub. nom. 576,10: Virgilius: „pingues premere caseos."

Non. 199,5: 'contagia neutro': Vergilius (buc. I 50):
„nec mala vicini pecoris contagia laedent."
Charis. 71,14: Vergilius:
„nec mala vicini pecoris contagia laedent."

Non. 219,4: Palumbes feminino Vergilius in Bucolicis (I 57): „nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes."
Charis. 106,26: item: „raucae tua cura palumbes."

Charis. 106,25: Palumbes Vergilius feminino genere dixit (buc. III 69):
„aeriae quo congessere palumbes."
Dub. nom. 586,20: Virgilius: „aeriae palumbes."

Pompei. 177,29: apud Vergilium habes vina mella hordea . . . (buc. III 89): „mella fluant illi."
Dub. nom. 579,10: Virgilius dixit: „nam rivis mella fluent" [1]).
Prisc. II 175,16: mella, frumenta, ordea, farra plurali numero protulit Virgilius.
Charis. 93,9: nam quod auctores dixerint frumenta hordea mella, non nos moveat.

1) e Georg. I 132: „et passim rivis currentia vina repressit" et Buc. III 89: „mella fluant illi" hic locus contaminatus videtur esse, ut utrumque versum in huius grammatici fonte extitisse sequatur.

Non. 223,26: 'sibilum masculino': Vergilius in Bucolicis (V 82):
„nam neque me tantum venientis sibilus austri."
Charis. 81,11: Vergilius:
„nam neque me tantum venientis sibilus austri."
Serv. ad Aen. II 211: 'sibilus' dicimus, ut:
„nam neque me tantum venientis sibilus austri."

Charis. 107,25: Serta neutro genere dicuntur, ut Vergilius (buc. VI 16):
„serta procul tantum capiti delapsa iacebant."
Dub. nom. 590,23: Serta pluraliter dixit Vergilius * [1].
Serv. ad Aen. I 417: 'sertum et serta' . . .
„serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant."

Non. 199,32: 'cortex feminino': Vergilius in Bucolicis (VI 62):
„Tum Phaethontiades musco circumdat amarae corticis."
Prisc. II 165,2: idem in bucolico:
„Tum Phaethontiades musco circumdat amarae
Corticis atque solo proceras erigit alnos."
Pompei. 291,11: legimus in Vergilio genere feminino cortices . . . „amarae cortices."

Sed cum de Bucolicorum versibus Capro dandis nihil praeterea indagare potuerim, iam Georgicorum versus afferam, quos in Capri libris extitisse demonstrari potest:

Prisc. II 144,12: Virgilius in georgicon I (183):
„Aut oculis capti fodere cubilia talpae."
Dub. nom. 592,1: Talpas generis masculini, ut mures, ut Virgilius:
„aut oculis capti fodere cubilia talpae."

1) in lacuna, quam asterisco signavit H. Keil, excidit Vergili versus: buc. VI, 16.

Pompei. 177,29: apud Vergilium habes vina mella hordea . . . (georg. I 210): „serite hordea campis."
Dub. nom. 579,8: sic et hordeum: „serite hordea campis."
Prisc. II 175,17: 'ordea' plurali numero protulit Virgilius.
Charis. 93,10: nam quod auctores dixerint frumenta, hordea, mella, vina non nos moveat.

Dub. nom. 579,7: Frumentum generis neutri ut Virgilius (georg. I 315): „frumenta in viridi stipula."
Prisc. II 175,17: 'frumenta' plurali numero protulit Virgilius.
Charis. 93,10: nam quod auctores dixerint frumenta, hordea, mella non nos moveat.

Dub. nom. 574,13: Cornu bovis generis neutri, sed est arbor cornus, de qua Virgilius (georg. II 447):
„et bona bello cornus."
Serv. ad Aen. III 22: legimus: „et bona bello cornus" . . . 'cornus' autem declinatur ut ficus, si arbor sit.
cf. Cap. GL VII 109,1: cornu bovis, cornus arbor.

Non. 206,9: Frenos masculini: Vergilius lib. III (georg. III 184): „et stabulis frenos audire sonantis."
Charis. 98,17: Vergilius frenos quoque ait in georgicon III: „et stabulo frenos audire sonantis."

Prisc. II 218,7: 'lynces feminino': Virgilius in III georgicon (264): „Quid lynces Bacchi variae."
Dub. nom. 583,14: Lynces generis feminini ut Virgilius:
„quid lynces Bacchi variae."

Charis. 91,27: Pix singulariter . . . quamvis Vergilius dixerit (georg. III 450):
„Idaeasque pices et pingues unguine ceras."
Dub. nom. 587,14: Pix generis feminini, ut Varro * (Verg. georg. III 450): „Idaeasque pices" [1].

1) Hoc loco quomodo grammaticus ille, qui de dubiis nomi-

Charis. 87,22: Gluten Vergilius dixit (georg. IV 40):
„collectumque haec ipsa ad munera gluten."
Charis. 131,20: Gluten Maro (georg. IV 160):
„et lentum de cortice gluten"
et (georg. IV 40):
„collectumque haec ipsa ad munera gluten."
Cap. GL VII 110,4: Virgilius „gluten" dixit[1]).

Prisc. II 282,3: apud Virgilium in IV georgicon (81) invenitur 'glandis':
„Nec de concussa tantum pluit ilice glandis."
Dub. nom. 580,3: Glandis generis feminini, ut Virgilius * [2]).

Priusquam ad Aeneidis versus enumerandos transeamus liceat pauca praemonere. Namque si Aeneidis locos apud Charisium obvios perlustraveris, apparebit, quanta varietate Charisius in Vergili opere praestantissimo afferendo usus sit. Quae inconstantia nulla alia re explicatur nisi eo, quod Charisius locos Vergilianos diverso modo allatos ex diversis fontibus hausit. Nam Iulius Romanus ubique[3]) Vergilium appellat Maronem[4]). Sed quamquam Vergilium semper cognomine excitat, tamen in Aeneidis versibus afferendis vario utitur modo; nam modo solum nomen ponit, modo libri numerum, modo etiam „Aeneidos" vocem addit. Quam varietatem et ipsam ad Romani fontes referendam esse nemo non videt. Atque quomodo Plinius, qui uberrimus Romani fuit fons, Aeneidis versus at-

---

nibus libellum scripsit, locos contaminare solitus sit, apertum fit; nam et Varronis et Vergilii locos, quos Charisius 91,27 praebet, in fonte suo eum invenisse patere puto.

1) Ambos Vergili versus (georg. IIII 40 et 160), ni fallor Caper attulit.

2) Vergili versum (georg. IV 81) excidisse H. Keil adnotat.

3) praeter Charis. 146,5, qui locus eandem habet originem atque Charis. 71,23.

4) cf. Christ in Philol. vol. 18 (1862) p. 121 e. q. s.

tulerit, apparet ex his locis: Charis. 122,23. 123,8. 135,25, ubi Aeneidis versus solo Maronis nomine instructi Plinio dantur, ut illum nil nisi Vergili nomen posuisse verisimile reddatur, „Aeneidos" vocem autem omisisse certum esse videatur. Probum vero Aeneidos vocem addidisse concludi potest ex Prisciano II 542,9, ubi affertur „Virgilius in I Aeneidos" Probi nomine adiecto. Praeterea e Gellio (XIII 21,5), apud quem Probus laudat Vergilium „in tertio Aeneidos", idem sequi videtur. Sed iam videamus, quinam Aeneidis versus Capro sint tribuendi, et quomodo ille differat a Plinio et Probo in afferendo Vergili carmine nobilissimo.

Disertis verbis hunc Aeneidis versum in Capri scriniis se invenisse dicit Priscianus:

GL II 354,15: 'hic et haec memoris et hoc memore': Virgilius in XII (534):
„nec domini memorum proculcat equorum."

Praeterea Capro adsignandi sunt hi Aeneidis versus:

Charis. 74,24: 'vulgus et masculine . . . sed idem (sc. Vergilius) et neutraliter in I (149):
„saevitque animis ignobile vulgus."
Dub. nom. 593,13: Virgilius: „ignobile vulgus."

Prisc. II 296,10 = II 590,11: Virgilius in I (247):
„Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit" pro Patavii.
Charis. 71,6: invenimus tamen et per unum i a Vergilio dictum „ille urbem Patavi."
Charis. 141,6: Maro: „ille urbem Patavi" pro Patavii.

Prisc. II 163,12: 'penus et masculinum et femininum et neutrum': Virgilius in I (704):
„cura penum struere."
Charis. 74,30: Vergilius: „longam penum."

Non. 191,12: Angues masculino genere dici Vergilius testis est (II 203) [1]:
„ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta,
horresco referens, inmensis orbibus angues."
Dub. nom. 572,1: Angues generis masculini ut Virgilius: „inimicus inmensis orbibus anguis" [2].
Prisc. II 158,19 = II 365,21: dies tam masculini quam feminini generis: Virgilius in II (324):
„Venit summa dies et ineluctabile tempus
Dardaniae."
Charis. 110,18: Vergilius: „venit summa dies."
Prisc. II 224,17: 'Teucrus': Virgilius in III (108):
„Teucrus Roeteas primum est advectus in oras."
Charis. 84,24: Vergilius in III:
„Teucrus Rhoeteas primum advectus in oras."
Prisc. II 157,3 (cf. 317,1. 343,6): 'haec hospita': Virgilius in III (539): „bellum, o terra hospita portas."
Charis. 100,21: Vergilius: „bellum, o terra hospita portas."
Prisc. II 242,17: 'requies tam quintae quam tertiae invenitur': Virgilius in IV (433):
„Tempus inane peto, requiem spatiumque furori."
Charis. 69,3: apud Vergilium in IV:
„requiem spatiumque furori."
Charis. 128,14: Maro IV: „requiem spatiumque furori."
Charis. 142,5: Maro: „requiem spatiumque furori."
Non. 191,15: Angues masculino genere . . . Vergilius (Aen. II 203): . . . et in lib. V (84):
„adytis cum lubricus anguis ab imis."
Dub. nom. 572,1: Anguis generis masculini, ut Virgilius: „inimicus inmensis orbibus anguis" [3].

1) alibi Nonius „Aeneidos" vocem addit.

2) Vergili exemplum ex duobus, quae sunt apud Nonium l. c. (Aen. V 84 et II 204), conflatum esse H. Keil dixit in adn. ad h. l.

3) cf. ea, quae ad Aen. II 204 adnotavimus.

Non. 229,24: Tartara neutro genere. masculino: Vergilius lib. VI (577): „tum Tartarus ipse
bis patet in praeceps tantum."
Prisc. II 177,6: idem in VI: „tum Tartarus ipse
bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras."
Non. 207,14: Guttur neutri est generis. Vergilius lib. VI (421): „ille fame rabida tria guttura pandens [1]).
Dub. nom. 579,27: Virgilius: „triformia guttura pandens."
Prisc. II 152,20=229,21: 'alacer et alacris': Virgilius in VI (685): „alacris palmas utrasque tetendit."
Charis. 82,32: Vergilius: „alacris palmas utrasque tetendit."
Non. 199,30: 'cortex masculini': Vergilius lib. VII (742): „raptus de subere cortex."
Prisc. II 164,24: Virgilius in VII:
„raptus de subere cortex."
Dub. nom. 576,9: Virgilius:
„tegmina quis capitum raptus de subere cortex."
Prisc. II 164,18: 'haec silex': Virgilius in VIII (233):
„Stabat acuta silex praecisis undique saxis."
Dub. nom. 591,4: Virgilius: „stabat acuta silex."
Pompei. 160,20: „stabat acuta silex."
Non. 229,6: Tapete generis neutri. masculini Vergilius (IX 358): „pulchrosque tapetas."
Serv. ad Aen. VII 277: declinatur et graece ὁ τάπης τοῦ τάπητος unde est: „pulchrosque tapetas" τοὺς τάπητας [2]).
Charis. 62,6: Vergilius . . . et masculino genere dixit: „pictosque tapetas."

1) eundem versum, ni fallor, Caper ad ablativum „famē" probandum attulit: cf. Pompei. 175,30. Sergii explan. in Don. GL IV 496,8. Prisc. II 243,13. 349,13.

2) de Capri studiis Graecis cf. Alfr. Luscher p. 37 e. q. s.

Non. 196,23: Clipeus generis masculini. Neutro Vergilius (IX 709): „et clipeum super intonat ingens."
Serv. ad Aen. IX 706: „et clipeum super intonat ingens." aut ipse ingens super clipeum intonat: aut clipeum supra ipsum tonat: nam lectum est etiam 'hoc clipeum', ut probat Caper.

Prisc. II 209,15: 'Manto Mantus': Virgilius in X (199): „Fatidicae Mantus et Tusci filius amnis."
Charis. 64,18 = 137,30: apud Vergilium: „fatidicae Mantus."

Charis. 87,6: 'hoc femur huius femoris. sed frequenter huius feminis': Vergilius (X 788): „eripit a femine."
Serv. ad Aen. X 788: 'a femine': ut etiam supra diximus, secundum Caprum erit nominativus 'hoc femen', licet nusquam lectum sit ut etiam ipse commemorat.
Serv. ad Aen. X 344: 'femur' dicimus . . . illius vero ablativi non invenitur nominativus: „laetus eripit a femine", licet Caper in libris enucleati sermonis dicat 'femen'; sed non ponit exemplum.

Charis. 104,22: Capillum priores singulariter dicebant . . . pluraliter . . . Vergilius (X 832): „comptos de more capillos."
Dub. nom. 574,2: Virgilius: „comptos ex more capillos."

Non. 199,18: Calx est generis feminini. Vergilius lib. XI (714): „ferrata calce fatigat."
Charis. 92,32: Vergilius: „ferrata calce fatigat."
Dub. nom. 574,7: Virgilius: „ferrata calce fatigat."

Non. 192,24: Accipiter generis est masculini. Vergilius lib. XI (721):
„quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto."
Charis. 98,9: Vergilius enim „accipiter" dicit.

Prisc. II 251,4: 'haec cassida cassidae': Virgilius in XI (774): „aurea vati cassida."
Prisc. II 218,16: Virgilius: „aurea vati cassida."
Charis. 103,18: Vergilius: „aurea vati cassida."

Dub. nom. 586,3: Pumex generis masculini ut Virgilius (XII 587): „latebroso in pumice †pepli."
Serv. ad Aen. XII 587: „in pumice" autem iste (sc. Vergilius) in masculino genere posuit.

Non. 194,14: Balteus masculini generis: Vergilius lib. XII (941): „umero cum apparuit alto balteus."
Charis. 77,5: Balteus masculino genere semper dicitur, ut clipeus: „infelix umero cum apparuit alto balteus."

Si locos hoc modo Capro datos perlustraveris, Caprum Aeneidis versus vel sub solo Vergili nomine vel, ut saepius videtur accidisse, libri numero addito attulisse apparebit. Itaque eos versus qui Aeneidis voce addita afferuntur, Capri non esse certum videtur esse. Sed quamquam non dubium est, quin etiam maior numerus exemplorum Vergilianorum ad Caprum redeat [1]), tamen cum diligentia quam temeritate in hac tam lubrica quaestione, quam me incohavisse potius quam ad finem perduxisse fateor, peccare maluerim, omnibus audacioribus coniecturis abstinendum esse putavi. Itaque iam ad reliquos poetas tractandos accedamus.

De Horatio.

Capro unus Horati versus disertis verbis adiudicatur a Prisciano:

Prisc. II 261,2 = II 163,17: 'penus et masculini et feminini et neutri': Horatius in I epistularum (16,72): „Annonae prosit, portet frumenta penusque."

1) inprimis Vergili exempla secundum Capri consuetudinem allata in Charisi capite XV et in Noni capite III.

Idem versus nomine tantum Horati instructus occurrit apud Servium ad Aen. I 703. Tum in Capri orthographia quae dicitur hoc Horatianum legitur:

GL VII 98,3: 'lactea candida' ut „lactea laudas bracchia" Horatius (carm. I 13,2) dicit.

Praeter hunc carminum versum Capro addicendus est hic:

Charis. 62,17: 'genetivus pluralis anciliorum': Horatius (carm. III 5,10):
„anciliorum et nominis et togae."

Pompei. 168,21 = 196,15: Horatius dixit:
„anciliorum et nominis et togae oblitus."

Serv. ad Aen. VII 188: 'anciliorum' vero usurpavit Horatius dicens: „anciliorum et nominis et togae oblitus."

Praeterea non dubium esse puto, quin etiam Noni versus hic Horatianus e Capro sit delibatus:

Non. 203,29: 'diluvium . . . feminini': Horatius Carminum lib. IV (14,27): „horrendamque cultis diluviem minitatur agris."

Quem versum Capro vel ideo adsigno, quod praeter eum unus tantum Horati versus (serm. I 2,89) in Noni capite III occurrit, qui et ipse Capri est, et quod praeter hos duos locos ter tantum Nonius Horati facit mentionem, ut e grammatico Horatiana eum sumpsisse eluceat.

Sermonum hunc locum Flavio adiudicandum esse non potest negari:

Non. 196,32: Clunes feminino Horatius (serm. I 2,89):
„quod pulchrae clunes breve quod caput, ardua cervix."

Charis. 101,7: Horatius: „pulchrae clunes."

Prisc. II 160,14: Horatius in I sermonum:
„quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix."

Serv. ad Aen. II 554: Horatius male: „quod pulchrae clunes."

Tum haud scio an hic locus sit Capri:

Prisc. II 212,12: 'allec, allecis': Horatius in II sermonum (8,9):
„Pervellunt stomachum siser, allec, faecula Coa",

cum paulo post (212,15) Caprum de hoc voce (allec) egisse ipse Priscianus testetur et paulo ante (212,5) eundum Caprum advocet, ut dubitari non possit, quin locus omnis inde a p. 212,4 usque ad p. 212,16 e Capri scriniis sit desumptus. Sed cum epistularum praeter locum allatum nullum indagaverim, qui Capro certo iudicio sit tribuendus, neque mihi contigerit, ut Probum Pliniumve a Capro in hac re seiungerem, Horatium iam mittamus.

De Aemilio Macro.

Aemilii Macri versus in Capri libris allatos fuisse inde concluditur, quod hic poeta laudatur et in incerti grammatici libello et apud Charisium et apud Nonium. Sed Plinium quoque Aemili versus attulisse disertus testis est Iulius Romanus, qui (apud Charisium p. 133,11) duos Macri versus apud eum se invenisse dicit (cf. Serv. ad Aen. I 435). Nec non Probum Aemilii carmina novisse inde discimus, quod eius nomen occurrit apud Diomedem p. 369,15, quem locum ex Probo desumptum esse supra (p. 32) demonstravimus. Quamquam igitur et Probus et Plinius et Caper Macrum noverunt, ut saepius difficile sit dictu, ad quemnam revocandi sint singuli loci, tamen nonnullos versus Aemilianos summa cum similitudine veri Capro tribuas. Atque primum quidem nos erraturos non esse arbitror, si Aemili locos ab incerto grammatico servatos Capro dabimus. Sunt hi:

Dub. nom. 592,20: Vepres generis feminini . . . sed singularem non recipit, quamvis Aemilius dicat (10): „veper occulta ruis" [1]).

1) cf. Non. 231,13; Prisc. II 169,18; Cap. GL VII 101,12.

Dub. nom. 576,5: Crocum generis neutri; sed Macer Aemilius (13): „pallentesque crocos" [1].

Praeterea Macri versus a Nonio in capite III allatus Capro est tribuendus, cum praeter unum Aemili versum[2] hic solus huius poetae locus apud Nonium extet et cum Lucili quod sequitur exemplum (v. 473) Capro supra addixerimus:

Non. 220,18: prosecta . . . generis neutri:
„Vulcani tosta vapore
cum virgis prosecta ferunt".

Et quamquam Iulius Romanus Aemili locos quos affert (Charis. p. 133,11 et 133,14) e Plinio se sumpsisse ipse dicit, tamen haud scio an Aemili versus in Charisi capite XV obvii, quo in capite Charisium non Romanum sed grammaticum cum Romano aliquo modo cognatum adiisse constat, Flavio Capro sint dandi, cum omnes legantur sub lemmatibus ut ita dicam Flavianis:

Charis. 65,7: 'margo feminino genere': Aemilius Macer (15): „flumina margine summa" [3].

Charis. 72,17: Ocimum consuetudo neutraliter dicit. sed Aemilius Macer ait (11):
„inter praeteritas numerabiter ocimus herbas" [4].

Charis. 81,18: Sibilus dici oportet . . . sed et neutro genere quidam dixerunt . . . Macer theriacon (7): „longo resonantia sibila collo" [5].

Charis. 100,33: Intiba neutro genere . . . sed et masculino genere frequenter . . . Aemilius Macer (12): „quales aget intubus herbas" [6].

Charis. 107,4: Naris singulariter . . . ut Aemilius Macer (16): „saucia naris" [7].

1) cf. Non. 202,8; Serv. in Georg. IV 182.

2) p. 518,25; 'picus vel pica': Aemilius Macer in Theogoniae lib. I (1): „et nunc agrestis inter picumnus habetur", qui locus haud scio an eiusdem sit Capri.

3) cf. Caprum GL VII 101,12 et 110,10; etiam Rabiri Ovidiique quae secuntur apud Charis. exempla Capri sunt (cf. p. 61 et 63).

4) cf. Non. 550,32.

5) cf. Non. 223,27; Prisc. II 264,4.

6) cf. Non. 208,31.

7) cf. Dub. nom. 584,22.

De C. Valgio Rufo.

C. Valgi Rufi, cuius studia grammatica in usum suum convertit Plinius [1], carmina Caprum adiisse inde appertum fit, quod Valgi et in dubiorum nominum libello et apud Charisium fit mentio:

Charis. 108,4: Margarita . . . neutraliter hoc margaritum dicere vitiosum est; et tamen multi dixerunt ut Valgius in epigrammate (1):
„situ rugosa, rutunda margarita".

Dub. nom. 586,4: Pelves generis feminini ut Valgius ('Vallius' libri manuscr.) (6): „perfusam pelvem".

Et quamquam Charisii locum Capro deberi certo argumento non potest probari, tamen haud scio an nihilo minus Capri sit, cum legatur sub titulo qui adhuc in illius mutilatis libris extat: GL VII 110,12 (cf. Non. 213,25). Alterum vero Valgi locum ad Caprum redire negari non potest.

De Melisso.

Melissi duo fragmenta extant apud grammaticos, qui Flavi Capri copiis usi sunt. Alter legitur apud Charisium: 101,4: Clunes feminino genere dixit Melissus et habet auctorem Laberium, qui in Ariete sic ait: „vix sustineo clunes";

alter in incerti grammatici de verborum generibus libello:

Dub. nom. 575,8: Clibanus generis masculini, ut Melissus docet.

Atque quin dubiorum nominum libelli locus Capri sit dubitari non potest, praesertim cum vox 'clibanus' adhuc in Capri de verbis dubiis libello conciso (GL VII 108, 16) extet. Sed etiam Melissi locus Charisianus Capro est addicendus, quod Horati et Scaevolae loci qui secuntur eiusdem sunt grammatici. Sed iam oritur

1) cf. O. Froehde in Fleckeis. annal. suppl. 18 p. 605.

quaestio difficilior, quinam fuerit ille Melissus, cuius nomen et apud Charisium et in incerti grammatici libello occurrit. Nam cum alii viri docti ut J. W. Beck[1]) hos locos tribuant C. Melisso poetae, quem Augusti aetate novum genus fabulae trabeatae fecisse Suetonius tradit (de gramm. 21 p. 115 R.), alii ut F. Muenzer[2]) Aelium Melissum grammaticum, qui A. Gelli aequalis fuit (cf. Gell. XVIII 6,1), hic sibi videntur agnovisse. Sed, ni fallor, iam ad finem haec quaestio perducta est. Nam si recte Melissi locos allatos ad Caprum redire disputavimus, de Aelio Melisso grammatico Gelli aequali non iam licet cogitare, cum Flavius Caper vel Gelli aetate vel potius ante Gellium sripserit. Praeterea omnino a similitudine veri abhorret Fl. Caprum, nobilissimum grammaticum, 'antiquitatis doctissimum perscrutatorem', ex talis grammatici libris doctrinam suam hausisse, quem Gellius l. c. ut hariolantem ludibrio habet. Immo hic Melissum poetam agnoscendum esse procul dubio affirmari posse puto ideo quoque, quod apud Charisium Melissi memoria cum aliorum poetarum coniungitur. Sed ad quod Melissi opus, quem et fabulas trabeatas et ineptiarum libellos CL scripsisse Suetonius l. c. memoriae prodit, hi loci Capro dati spectent, discernere non audeo, quamquam haud scio an fabulis adsignandus sit locus a Charisio servatus, cum Melissum Laberium auctorem secutum esse Caper expresse dicat. Sed iam nos convertamus ad poetas nobiliores, quorum carmina ad hunc diem integra leguntur.

De Tibullo.

Albi Tibulli versus inveniuntur et in de dubiis nominibus libello et apud Charisium et apud Julium

1) in Philol. vol. 52 (1893) p. 510.

2) „Beiträge zur Quellenkritik der Naturgesch. des Plinius", Berlin 1897, p. 369.

Romanum. Neque incerti grammatici locos Flavio dare dubito, quod afferuntur sub titulis de quibus Caprum egisse constat:

Dub. nom. 587,17: Praesepia vetant grammatici singulariter dici . . . Cotta * (Tibull. II 1,7): „nunc ad praesepia".[1])

Dub. nom. 580,3: Glandis generis feminini ut Virgilius * (Tibull. II 1,38): „querna pellere glande famem".[2])

Sed etiam Tibulli versus in Charisii capite XV obvios Capro tribuendos esse contendro, cum arte coniungantur cum aliorum scriptorum locis, quos e Capro desumptos esse certo potest probari. In censum veniunt hi loci:

Charis. 87,3 = Jul. Roman. apud Charis. 130,36: 'femini' Tibullus: „implicuitque femur femini".[3])

Quem locum ideo Capro adiudico, quod de eiusdem vocabuli declinatione illum disputavisse diserto Servii testimonio constat (ad Aen. X 344 et 788) et quod Vergili versus (Aen. X 788) cum hoc coniunctus Capri est. Tum occurrit hic versus:

Charis. 90,13: Anguis feminini ut Tibullus (I 8,20): „iratae detinet anguis",

qui locus ideo Capri est, quod Ovidii et Varronis Atacini qui secuntur versus eiusdem sunt grammatici. Sed etiam Tibulli versum, qui in Romani de analogia libro legitur, summa cum probabilitate Flavio Capro dabimus. Scriptum enim videmus hoc:

1) Cottae et Tibulli locos more suo in unum conflavit grammaticus; de lemmate cf. Non. 218,2; Charis. 59,11; etiam Cottae memoria e Capro est sumpta.

2) iterum Vergili et Tibulli loci in unum conflati sunt; de titulo cf. Prisc. II 281,15.

3) locus non in Tibulli carminibus invenitur, ut dubitari possit, utrum Tibulli sit an duo loci conflati sint in unum.

Charis. 145,8: Turben Tibullus (I 5,3):
„namque agor ut per plana citus sola verbere turben".

Quem locum ex Plinio, quem uberrimum Romani fontem fuisse saepius diximus, esse desumptum eo redarguitur, quod paulo ante (p. 144,30) Romanus Plinium facit disserentem de eodem vocabulo, ut hunc locum (145,8—13) ex alio fonte delibatum esse appareat, quem Caprum fuisse ideo arbitror, quod etiam Maronis qui affertur versus secundum Flavi Capri consuetudinem laudatur. Sed unde alter Romani versus Tibullianus (Charis. 126,4) originem traxerit, quomodo discernatur nescio.

De Propertio.

Sex. Properti hos tres locos in Capri scriniis invenisse grammaticos statuendum:

Charis. 89,22: Pulvis masculini generis, quamvis Propertius (III 13,35) dixerit:
„qui nunc iacet horrida pulvis".
Dub. nom. 588,5: Propertius: „horrida pulvis".

Charis. 107,27: Serta . . . Propertius feminine extulit sic (III 33,37):
„tua praependent demissae in pocula sertae".
Dub. nom. 590,24: Propertius:
„cum tua praependent demissae in pocula sertae".

Charis. 103,16: Cassidem dicimus nos . . . sed multi cassidam dicunt ut Propertius (IV 11,15):
„aurea cui postquam nudavit cassida frontem".
Dub. nom. 576,22: Propertius:
„aurea cui postquam nudavit cassida frontem".

Praeterea tres tantum Properti loci apud grammaticos, quos Capri copiis usos esse constat, occurrunt, quos omnes eidem Capro tribuemus, praesertim cum afferantur ad doctrinam probandam, quae a Capro minime est aliena:

Prisc. II 536,14: ‛nexui et nexi’: Propertius (III 8,37)
„At tibi, qui nostro nexisti retia lecto".[1])
Charis. 67,13: ‛Atrides Atrida’, ut Propertius (III 14,1)
„non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho".[2])
Dub. nom. 592,5: Torques generis feminini ut Propertius * [3]).

De Ovidio.

P. Ovidi Nasonis unum versum certo Capro tribuere possumus:

Prisc. II 333,14: ‛ὁ *γαυσάπης* haec gausapa’:
Seneca Ovidium sequens (Ov. ars am. II 300):
„Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba".
Charis. 104,9: Gausapa Ovidius neutraliter dixit:
„gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba".

Hic Priscianum et Senecae et Ovidi locum in fonte invenisse procul dubio affirmari posse iudico. Caprum igitur Ovidi artis amandi versus libris suis inseruisse videmus. Praeter hunc versum tres tantum artis leguntur in Charisi capite XV, quos omnes e Capri libris detractos esse contendemus. Duo versus una prolati sunt hi:

Charis. 72,24: Mendum neutraliter . . . sed Ovidius feminine (ars I 249):
„nocte latent mendae" item (ars II 653):
„eximet ipsa dies omnis e corpore mendas"[4]).

Quos versus Capri esse ex eo etiam magis elucet, quod antecedit locus ex Varronis logistorico, qui „De Admirandis" inscribitur, sumptus, qui eiusdem est Capri (cf. sub Varrone). Qui restat denique artis versus quin ad eundem fontem referendus sit, non est dubium:

---

1) cf. Fr. Marx in Lucili ed. vol. I p. LXXI e. q. s.
2) cf. de simili re Prisc. II 245.
3) excidit Properti versus lib. IV 10,44: „torques ab incisa decidit unca gula"; de lemmate cf. Charis. 145,19; Non. 227,33; Prisc. II 169,18.
4) cf. Non. 214,2; Cap. Gl. VII 110,12.

Charis. 103,24: Leaena dicitur, non lea; sed Ovidius (ars II 375):

„nec lea, cum catulis lactentibus ubera praebet“[1]).

Praeter artem Caprum Ovidii „amores“ inspexisse inde colligo, quod in dubiorum nominum libello scriptum videmus hoc:

Dub. nom. 576,8: Corticem . . . masculino genere ut Ovidius (am. I 14,12): „†rupto cortice“;

quem locum Capro ideo tribuo, quod eum de eadem re egisse constat (cf. Non. 199,25 et Prisc. II 164,24) et quod Vergili versus (Aen. VII 742), qui cum hoc Ovidiano coniungitur, eiusdem est Capri.

Metamorphoseon nobile opus Caprum perlegisse ideo probabile est, quod et in de dubiis nominibus libello et apud Charisium huius operis fit mentio. Atque omnes, ni fallor, huius carminis versus apud incertum grammaticum qui leguntur Capro sunt adiudiandi.

Dub. nom. 593,18: Ursum antiqui non declinabant in masculino . . . sed Varro * (Ov. met. II 494): „†conspectusque in montes horruit ursus“[2]).

Dub. nom. 575,16: Cancer bubo generis neutri, ut Livius (Ov. met. II 825)[3]):

„malum †latere solet inmedicabile cancer.“

Dub. nom. 587,1: Perdix generis feminini, ut Varro* (Ov. met. VIII 237):

„garrula limoso †prospicit elice perdix[4]).

Sed, quamquam metamorphoseon locum a Iulio Roma-

---

1) cf. Prisc. II 232,13 (Non. 134,7).

2) Varronis Ovidiique exempla in unum conflata sunt, cf. Fr. Marx in comm. ad Lucil. v. 1370 in ed. Lucil. vol. II p. 435.

3) haud scio an hic non Livii locus exciderit, sed potius, quod facile accidere potuit, Ovidii nomen in Livii corruptum sit: cf. Dub. nom. 572,11.

4) Varronis logistorici, qui „De Admirandis“ inscribitur locum hic excidisse puto, quem praebet Non. 218,17.

no (Charis. 135,21) prolatum Plinio potius tribuendum esse puto[1]), tamen non dubito, quin ambo versus, qui in Charisii capite XV occurrunt, Capri sint, quod extant locis Capri doctrina refertis:

Charis. 65,12: margo masculino genere dicitur, ut apud Ovidum (met. I 13): „bracchia longo margine“[2]).

Charis. 81,14: Sibilus . . . et neutro genere quidam dixerunt ut Ovidius (met. IV 494):

„sibila dant saniemque vomunt“[3]).

Et quamquam non dubito quin Priscianus quoque nonnullos metamorphoseon versus Capro debeat, tamen certum quidem nullum eruere potui.

Cum tot Nasonis versus ab incerto grammatico allatos Capri esse demonstraverimus, etiam ceteros illius excerptoris locos Ovidianos eidem Capro dabimus. Atque primum quidem Tristium hunc versum ei adscribo:

Dub. nom. 572,11: Bracas non braces, ut Livius (Ov. trist. V 7,49)[4]): „laxisque bracis.“

Tum in censum venit hic Remediorum amoris versus:

Dub. nom. 576,17: Cingula generis feminini, ut Ovidius (rem. 236): „nova velocem cingula laedit equum“[5]).

Cum huius carminis praeterea semel tantum mentio fiat, haud scio an ille quoque Capro sit dandus:

Prisc. II 96,19: Ovidius tamen 'saluber' dixit et 'celeber' in IV fastorum (immo in rem. 704):

„Phoebe saluber ades.“

et (fast. IV 391):

---

1) cf. O. Froehde in Fleckeis. ann. suppl. 18 p. 624.

2) cf. Cap. GL VII 101,12 et 110,10; praeterea Rabiri et Aemili Macri qui antecedunt loci Capri sunt.

3) Corneli Severi et Macri loci sub eodem titulo obvii Capri sunt auctoris.

4) cf. Cap. GL VII 108,10; Ovidi nomen in Livi corruptum videtur esse eodem modo atque Dub. nom. 575,16.

5) cf. Serv. ad Aen. IX 357.

„Circus erit pompa celeber numeroque deorum.“ Sed etiam fastorum locum, quem cum hoc remediorum Priscianus tam arte coniungit, ut falso ambos versus fastis tribuat, ex eodem fonte fluxisse nemo non videt, ut Caprum etiam huius operis rationem habuisse appareat. Sed cum omnes Ovidi versus in Charisi capite XV allatos Capri esse viderimus, etiam unum qui restat ex Medicina faciei sumptum eidem grammatico dandum esse patet:

Charis. 90,16: Anguis . . . feminini: Ovidius (med. 39): „mediae Marsis finduntur cantibus angues“ [1].

Denique liceat duos locos afferre, qui reverane Ovidii sint an alterius potius poetae dubito, quos cum incertus ille excerptor praebeat, eodem modo Capro dandos esse existimo:

Dub. nom. 576,6: Cristallum generis neutri, ut Ovidius (fr. 8): „currus cristallo lucidus alba“ [2].

Dub. nom. 592,27: Vehes generis masculini, ut Ovidius (fr. 9): „innumerosque vehes.“

Itaque, cum iam ad finem huius inquisitionis de Ovidio institutae pervenerimus, Caprum frequentissimum in Ovidio excitando fuisse intelleximus. Laudavit enim Amores, Medicamen faciei, Artem amatoriam, Remedia amoris opera minora, tum Fastos, Metamorphoses, Tristia carmina nobiliora.

De Rabirio.

Rabirium poetam, qui Ovidi fuit aequalis (cf. Ov. ep. ex Ponto 4, 16,5), M. Antoni interitum carmine celebrasse Seneca tradit (de benef. 6, 3,1) cum dicit: „Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poetam, cum fortunam suam transeuntem alio videat

1] cf. Non. 191,14; Dub. nom. 572,1; praeterea Tibulli quod antecedit et Varronis Atacini quod sequitur exemplum Capro dedimus.

2] 'albo' Lambertz in Thesauro linguae latinae s. v. 'crystallus'.

et sibi nihil relictum praeter ius mortis, id quoque si cito occupaverit, exclamare (fr. 2):

„Hoc habeo quodcumque dedi.“

Praeter hunc Rabiri versum quattuor tantum aetatem tulerunt, qui occurrunt et in dubiorum nominum libello et in Charisii capite XV, unde Caprum Rabirium attulisse colligendum. Atque grammatici, qui de generibus verborum agit, locos Rabirianos Capro dare non dubito:

Dub. nom. 578,7: Erinaceus ut ericius. tamen Rabirius (fr. 5): „portarumque fuit custos ericius.“

Dub. nom. 578,13: Elefantus generis masculini, ut Rabirius (fr. 3):

„ac veluti Numidis elephans circumdatur altus“ [1].

Dub. nom. 590,19: Serum lactis generis neutri ut Rabirius (fr. 4):

„in tenerum est deducta serum pars intima lactis.“

Sed etiam Rabiri versum, qui restat, a Charisio prolatum Capro dandum esse eo probatur, quod legitur sub titulo 'margo' qui adhuc in Capri mutilatis libris occurrit (GL VII 101,12 et 110,10), et quod totus hic Charisi locus Capri doctrina abundat:

Charis. 65,9: Margo feminino genere . . . Rabirius extulit (fr. 1): „Idaeos summa cum margine colles.“

De Cornelio Severo.

Corneli Severi ut hos duos locos ad Caprum revocemus contigit:

Charis. 107,29: 'serta feminine': Cornelius Severus (3): „huc ades Aonia crinem circumdata serta.“

Dub. nom. 590,23: *[2]) „huc ades Aonia crinem circumdata serta“.

1) cf. Cap. GL VII 109,10; Charis. 127,22; Prisc. II 216,10.

2) in lacuna Corneli nomen excidit.

{Dub. nom. 588,2: Pampinus generis feminini, ut Cornelius (8): „purpureis †geminata pampinus uvis".
Charis. 105,19: *[1]) „purpureis gemmavit pampinus uvis".

Quamquam Charisius hunc Corneli Severi locum (fr. 8) Plinio videtur adscribere, tamen apud Caprum eum non extitisse minime sequitur, sed et Plinium et Caprum Corneli Severi versus attulisse statuendum est. Sed cum Corneli versus a Charisio allati utrum ad Plinium an ad Caprum auctorem redeant, diiudicare non audeam [2]), tamen libelli, qui de dubiis nominibus inscribitur, locos Cornelianos, qui restant, Capro dare non dubito:

Dub. nom. 588,26: Ramus generis masculini, ut Cornelius (9):
„pomosa lentos servabat in arbore ramos" [3]).

Dub. nom. 590,1: Syrma generis neutri; priores feminini ut Cornelius (14): „tragica syrma" [4]).

De Graccho.

Gracchi tragoediarum poetae quattuor versus ad nos pervenerunt. Unus ex iis invenitur in Nonii capite III p. 202,17: 'cardo femenino': Gracchus in Peliadibus (2): „sonat inpulsa regia cardo",
quem locum e grammatico sumptum esse ideo certo est statuendum, quod solus Gracchi versus apud Nonium occurrit. Atque Capro eum esse surreptum ex eo colligitur, quod hunc de eodem titulo egisse constat

1) in lacuna Corneli Severi nomen excidisse patet.

2) quamquam haud scio an hic locus Capro potius quam Plinio sit tribuendus, cum sub eodem titulo etiam ceterorum scriptorum locos Capro vindicaverimus:
Charis. 81,16: sibila neutro genere: Cornelius Severus [6]:
„et sua concordes dant sibila clara dracones".

3) cf. Serv. in Georg. IV 303.

4) cf. Prisc. II 200,1.

per Priscianum (II 206,10), Anonymum de dubiis nominibus (575,22), Caprum qui dicitur (GL VII 108,13). Sub eodem lemmate atque Peliadum versus commemoratus Atalantae tragoediae versus apud Priscianum legitur, ut hunc quoque Gracchi locum Capro deberi sit concludendum.

Prisc. II 206,11: 'hic cardo cardinis'. quidam tamen veterum etiam feminino genere hoc protulerunt:
Gracchus in Atalanta (1):
„O grata cardo, regium egressum indicans".

Cum hos duos versus Capro tribuendos esse evicerimus, iam non dubitandum est etiam reliquos Gracchi tragici versus eidem grammatico addicere, praesertim cum alter in excerptoris illius libello, quem Capri doctrina maxime esse refertum magis magisque apparet, inveniatur, alter in Prisciani capite VI:

Prisc. II 269,8: 'humus etiam neutrum in um desinens':
Gracchus in Thyeste (3):
„Mersit sequentis umidum plantis humum".

Dub. nom. 577,30: Diadema generis neutri, ut Gracchus (4): „purpura et diadema" [1]).

Iterum igitur per solum Flavium Caprum Gracchi poeseos reliquias quamvis pusillas servatas esse elucet.

De Seneca.

De L. Annaeo Seneca iam licet brevius disputare. Nam si eis assensus eris, quae supra sub Ovidio diximus, Priscianum, qui praebet II 333,14: Seneca Ovidium sequens: (Senecae fr. 4 Haase):
„Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba",
et Senecae et Ovidi locum in fonte suo, quem Caprum

1) cf. Prisc. II 200,7.

fuisse evicimus, invenisse, Caprum etiam Senecae carminum rationem habuisse concedes.

De Petronio.

Etiam Petronium Arbitrum, qui Neronis aetate scripsit, in Capri libris allatum fuisse eo probatur, quod et in dubiorum nominum libello et apud Priscianum eius fit mentio. Atque in incerti grammatici libro eius nomen extat sub lemmate 'fretum', quod e Capro originem traxisse testes sunt Nonius (205,23), Iulius Romanus (Charis. 129,6), Priscianus (II 170,3), quare hunc Petroni locum Capro dare non est, cur dubitemus:

Dub. nom. 578,23: Fretum generis neutri et pluraliter freta, ut Petronius (fr. XXIII):
„freta Nereidum."

Sed cum mihi non contigerit, ut diiudicarem, utrum ceteri quoque Petronii loci a grammaticis allati [1]) ad Caprum revocandi sint necne, iam ad infimum accedamus poetam, quem a Capro laudatum esse probari potest.

De Martiale.

Martialis mentionem facit et grammaticus, qui de dubiis nominibus scripsit, et Charisius et Priscianus. Atque procul dubio, ni fallor, hic locus Capro est addicendus:

Charis. 95,30 = 128,21: ficos vitium esse corporis proinque declinari debere quasi pomum Martialis in Laetilianum iocantis nobis occurret exemplum, nam ita loquitur (I 65):
„cum dixi ficus, rides quasi barbara verba
et dici ficos, Laetiliane, putas.

1) Prisc. II 381,2 et 567,19=fr. V; Serv. ad. Aen. XII 159=fr. II.

dicemus ficus quas scimus in arbore nasci;
dicamus ficos, Laetiliane, tuos".

cf. Cap. GL VII 109,15: ficos, non ficus, nec ficibus, sed ficis [1]).

Quem locum e Capro sumptum esse eo demonstratur, quod ex Plinio, quem Iulius Romanus (Charis. 128,30) advocat, deductus non est, cum Plini doctrina, quae sub nectitur, plane diversa sit ab hac doctrina Martialis versibus probata, praesertim autem ideo quod post Plinium mortuum hoc epigramma editum est. Praeterea hoc Martialis exemplum est Capri:

Dub. nom. 576,1: Colustrum generis neutri, ut Martialis (XIII 38): „†colustrum luteum" [2]).

Sed Prisciani quoque hunc locum summa cum probabilitate Capro ideo tribuo, quod et paulo ante et paulo post eius nomen appellatur et Plauti quod antecedit et Horati quod sequitur exemplum est Capri:

Prisc. II 212,9: ‚allec allecis'. sic Martialis (III 77,5):
„Capparin et putri cepas allece natantes
Et pulpam dubio de petasone voras".

Tum hunc Martialis versum in Prisciani institutionibus extantem eidem Capro tribuendum esse puto, quod legitur sub lemmate 'mustus', de quo Caprum egisse testis est scriptor dubiorum nominum libelli (Dub. nom. 583,23), et quod Catonis qui sequitur locus Capri est:

Prisc. II 257,12: 'mustus' quoque 'musti' excipit Probus, quod tamen mobile videtur, cum veteres et feminino et neutro genere inveniuntur hoc pro-

1) Idem Martialis versus occurrit apud Priscianum II 261,9 = II 267,16, qui locus haud scio an aliunde sit deductus, cum diversa esse videatur doctrina; atque ni fallor ex eodem fonte hic Martialis locus desumptus est ex quo Prisc. II 516,25, cum utroque loco 'epigrammaton' vox addatur, quam alibi Priscianus omittit.

2) cf. Cap. GL VII 109,3: 'colustrum recte'.

tulisse pro 'novus nova novum'. Martialis in I (18,1):

„Quid te, Tucca, iuvat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis?"

Ex Probo (cf. Prob. cath. GL IV 30,8) hunc locum non fluxisse docet illud 'tamen' quod initio sententiae ponitur, qua voce Capri doctrina Probi opponitur. Illud quoque monendum est 'epigrammaton' vocabulum locis Capro addictis non esse additum, ut haud sciam an ceteri Martialis loci apud Priscianum obvii, quibus omnibus epigrammaton vox adicitur, non Capri sint auctoris.

Sed cum Martialis infimus sit poeta, cuius Caprum rationem habuisse demonstrari potest, iam ad pedestris sermonis scriptores, quorum scrinia adiisse Caprum putamus, tractandos accedamus.

Caput II.

De Catone.

M. Porci Catonis originum hi loci a Prisciano Capro nominatim tribuuntur:

Prisc. II 264,17: 'veter': Cato in I originum (21) „Antemna veterior est quam Roma."

Prisc. II 128,23: Sunt alia in 'as' demonimativa ut 'primâs', 'optimâs', 'Ravennâs', 'Capenâs', 'Arpinâs', 'Crotoniâs', 'Pontiâs', 'Larinâs', quae ideo in fine habent circumflexum accentum, quia per syncopam proferuntur. perfecta enim eorum inveniuntur apud antiquissimos in 'tis' desinentia . . . et testis eius Caper, qui diversorum de huiuscemodi nominibus ponit usus auctorum: Cato Censorius in I originum (30): „sed lucus Capenatis". in II (61): „si quis mortuus est Arpinatis, eius heredem sacra non secuntur."

ibidem (58): „lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Baebius Tusculanus dedicavit dictator Latinus. hi populi communiter: Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis, Rutulus" [1]).

Praeterea Capro addicendum esse puto hunc locum Prisciani:

Prisc. II 171,8: 'hic et hoc sal': Cato in II (67): „ex sale, qui apud Carthaginienses fit",

propterea, quod Enni quod sequitur exemplum Probi est, hunc Catonis locum vero ex eodem fonte sumptum non esse loci indole fit manifestum (cf. sub Ennio p. 21). Neque erraturos nos esse iudico, si etiam originum locum ab incerto de generibus nominum auctore allatum Capro tribuemus, cum illud Catonianum legatur sub titulo, quem in Capri libris extitisse constat:

Dub. nom. 576,19: Culleum generis neutri ut Cato (origg. fr. 43): „cullea vini" [2]).

Tum hunc locum apud Charisium qui extat silentio non praeteream:

Charis. 83,28: Papaver masculino: Cato Originum secundo (35): „papaver Gallicanus";

nam eum quoque Capro deberi certo potest affirmari, cum occurrat sub lemmate, de quo quin Caper egerit dubitari non potest (cf. Non. 220,9; Dub. nom. 586,23; Prisc. II 170,13), et quod Plauti [3]) qui antecedit et Varronis [4]) qui sequitur locus, qui loci cum Catonis artissime coniunguntur, Capri sunt, ut omnia, quae sub

---

1) iterum leguntur haec Catoniana omisso Capri nomine Prisc. II 337,19 e. q. s.

2) cf. Cap. GL VII 101,12; Non. 197,22.

3) Plaut. Trin. 410.

4) Varro in Admirandis fr. 10.

hoc titulo (papaver) apud Charisium leguntur (p. 83,26—29), Capro deberi sit statuendum. Et quamquam haud scio an etiam illi originum loci, qui in Nonii capite III occurrunt (p. 208,4 et 229,8), Capro dandi sint, tamen cum aliquid dubitationis nihilominus in his locis insit, eos omittam.

Praeter origines etiam Catonis orationes Caprum attulisse grammaticorum diserto testimonio constat. Nam hi loci Capro nominatim adiudicantur:

Prisc. II 85,5 = III 40,30: 'citer': Cato de agna pascenda: „citer ager alligatus ad sacra erit".

Prisc. II 509,24: 'ĭco īci': Cato Censorius de Veturio (fr. 9 Iordan): „hostem num ĭcit"?

Orationis quae inscribitur „de agna pascenda" praeter locum allatum semel tantum mentio fit apud

Priscianum II 257,10: 'mustus' quoque 'musti' excipit Probus, quod tamen mobile videtur cum veteres et feminino et neutro genere inveniuntur hoc protulisse pro 'novus nova novum' . . . Cato Censorius de agna musta pascenda „musta agna" pro nova dixit.

Quem locum ad eundem Caprum redire ex eo manifesto apparet, quod ex Probo non est desumptus, utpote cuius sententia hoc Catonis exemplo refutetur, et quod de voce 'mustus' Caprum egisse testis est incertus grammaticus, qui de dubiis nominibus libellum composuit (Dub. nom. 583,23). — Praeterea nonnullos alios orationum locos, qui Capro tribuendi sint, indagavi:

Charis. 121,3: 'aeribus': Cato, ut plura aera equestria fiant (fr. 2 Iordan): „aeribus equestribus de duobus milibus actum".

Prisc. II 319,3: in eodem: „de aeribus equestribus de duobus milibus actum."

Cum praeter hunc locum orationis, quae inscribitur „ut plura aera equestria fierent", duo tantum servati sint, eidem grammatico illos addicendos esse nemo non videt, praesertim cum ambo arte coniungantur cum locis Catonianis Capro supra adsignatis:

Prisc. II 318,22: 'aera aerum aeribus'. Cato in oratione, qua in senatu suasit, ut plura aera equestria fierent (fr. 1): „nunc ego arbitror oportere restitui, quin minus duobus milibus ducentis sit aerum equestrium."

Prisc. II 337,23: idem in oratione, qua suasit in senatu 'Samnitis' dixit pro 'Samnis' (fr. 3): „accessit ager, quem privatim habent Gallicus Samnitis, Apulus, Bruttius."

Sed etiam Catonis libri, qui „de re militari" inscribebatur, Caper videtur rationem habuisse. Nam et apud Priscianum et apud Nonium huius libelli fit mentio. Et cum Nonius ter tantum illud opus commemoret [1]), hos locos e grammatico sumptos esse maxime est probabile. Atque, ni fallor, Nonius locum quem affert in capite III Capro debet:

Non. 204, 32: 'frontem masculino': Cato de Re Militari (fr. 10 Iordan): „una depugnatio est fronte longo, quadrato exercitu". [2])

Neque Prisciani locum Capro dare dubito, cum et ille legatur sub titulo, quem e Capri scriniis se delibavisse ipse Priscianus alibi (II 354,13) testatur:

Prisc. II 334,13: 'hic et haec celer vel celeris': M. Cato de re militari (13): „satis celeris sis in tempore."

Liceat denique duo Catonis exempla proferre incertorum librorum, quae in dubiorum nominum libello

---

1) p. 204,32. 463,5. 554,28.

2) cf. Cap. GL VII 110,2; Prisc. II 169,12; Dub. nom. 579,2.

adferuntur ad doctrinam probandam, quae a Capro minime est aliena:

Dub. nom. 586,17: Putei generis masculini ut Cato (inc. 48 Iordan) et Varro [1]).

Dub. nom. 574,11: Corbes generis feminini ut Cato: „corbes messorias" [2]) (cf. Cic. Sest. 82).

Itaque ut ea, quae de Catone protuli paucis comprehendam, Caprum praeter origines etiam orationes quae inscribuntur „de agna musta pascenda", „ut plura aera equestria fierent", „contra Veturium" nec non libellum „de re militari" adiisse certo potest affirmari.

De Cn. Gellio.

Cn. Gelli annalium unum locum, qui Capro certo tribuendus sit, inveni:

Prisc. II 318,4: 'hoc ossum': Gellius in XXX (26): „calvariaeque eius ipsum ossum expurgarunt inauraveruntque."

Charis. 55,7 = 139,2: Gellius libro XXXIII: „calvariaeque eius ipsum ossum expurgarunt inauraveruntque."

cf. Cap. de orthogr. GL VII 100,1: Gellius et Varro „calvariam."

Praeterea tribus tantum locis Cn. Gelli mentio fit apud Charisium. Ex quibus unus (p. 54,13 e. q. s.) sex Cn. Gelli locos arte inter se iunctos praebet, quos omnes ex uno eodemque fonte sumptos esse primo patet adspectu. Quem locum integrum Capro esse surreptum monemur et eo quod paulo post Cn. Gelli exemplum sequitur, quod Capri esse diximus, et quod artissime cum his coniungitur versus Plautinus (Curc. 506), quem Capri esse supra demonstravimus. Locus est hic:

Charis. 54,13: 'his deabus et libertabus filiabusque',

1) de lemmate cf. Caprum in GL VII 101,12 et Non. 216,36.
2) cf. Cap. GL VII 101,14 et 109,1; Non. 197,24.

quod iuris periti instituerunt ambiguitatis secernendae scilicet gratia, ob quod multa sordide ab auctoribus dicta videntur habere rationem. nam Gellius in II (12): „deabus" inquit „supplicans" [1])
et in eodem (13): „multitudo puerorum iam erat ex raptabus",
et in tertio (14): „capite cum aliis paucabus consilium",
et in V (22): „puellabus"
et in VII (23): „pro duabus pudicabus" . . .
idem Gellius in XCVII (29): „portabus"
et mox: „oleabus".

Videmus igitur Caprum inde a libro primo usque ad novissimum iusto ordine servato Cn. Gelli opus excerpsisse. Alter locus paulo post sequitur neque quemquam dubitare posse puto, quin ille quoque sit Capri: Charis. 54,25: Gellius (31) „regerum" et „lapiderum". Tertius locus occurrit apud eundem

Charisium 71,29: forum neutro genere . . . masculine autem tabulata navium, et semper pluraliter, quamvis Gellius (32) fora navium neutraliter dixerit;

qui locus vel ideo Capro adsignandus est, quod adnectitur Lucili versus (146) Capro supra adscriptus. Omnes igitur loci Gelliani, qui apud grammaticos in prooemio commemoratos occurunt, Capro sunt tribuendi. Neque neglegendum esse puto commemorare Caprum attulisse Gellium annalium voce omissa ut in aliis quoque scriptoribus afferendis eius mos erat.

De Caelio Antipatro.

Caeli Antipatri hic locus Capro diserte adiudicatur:

Prisc. II 510,1: 'ĭco īci': Caelius in I (6): „qui cum is ita foedus īcistis".

1) cf. Cap. GL VII 109,6.

Iterum Caprum omisso operis nomine adiecto solo libri numero scriptorem attulisse videmus. Itaque Noni Marcelli, quippe qui ubique Annalium vocem addat, nullus Caeli locus ad Caprum redit. Sed quamquam nescio an etiam ceteri Caeli loci secundum Capri consuetudinem a Prisciano allati[1]) Capro sint dandi, cum Priscianus alio loco alio utatur modo in afferendis Caelii locis, quod ad diversos fontes referendum est, tamen, cum fieri potuerit, ut plures Prisciani auctores eodem modo uterentur, eos omitto. Contra Caeli locum in incerti grammatici libello servatum silentio non praeteream:

Dub. nom. 590,21: Salientes aquarum generis masculini ut Caelius (61): „Perpetuum salientem."

Qui locus, quamquam sub lemmate occurrit, quod in Capri libris extitisse hodie non iam certis argumentis probari potest, tamen haud scio an ad Flavium referendus sit, praesertim cum Capro Caelii libros ad manum fuisse etiam eo demonstratur, quod in Charisii capite XV (p. 54,25) Caeli fit mentio:

Charis. 54,25: „nucerum" enim Coelius dixit,

quem locum eidem Capro deberi maxime est verisimile, cum Cn. Gelli quod sequitur exemplum (fr. 31) Flavii sit Capri.

De Sempronio Asellione.

Iulius Romanus hunc Asellionis locum affert in capite de adverbiis scripto:

Charis. 195,18: Artificiose P. Rutilius Rufus . . . Asellio quoque rerum Romanarum XL (13) „tam pulchrum opus tamque artificiose factum passus est dirui"; ubi Fl. Caper 'quamvis artificiosus non dici possit ut malitiosus'.

Hic Semproni locus diserte Capro adscribitur, sed P.

1) Prisc. II 226,23 = 266,17 = 303,25 = III 8,12. II 399,17. II 432,13. II 484,6. III 8,10. III. 8,19.

Rutili Rufi locum aliunde esse desumptum illo 'quoque' demonstratur, qua voce duo fontes secernuntur. Sed quomodo illud explicari possit, quod hic „rerum Romanarum" titulus additur, cum alibi Caper talia additamenta omittere soleat, nescio, quamquam multa conici possunt velut Caprum ex alio grammatico Semproni locum sumpsisse.

De Aemilio Porcina.

M. Aemili Lepidi Porcinae, quem ante Gracchorum aetatem summum oratorem habitum esse Cicero (Brut. 25,95) tradit, duo tantum loci servati sunt, quorum alter occurrit apud Priscianum alter in incerti grammatici libello, ut ambos locos Capro deberi maxime sit verisimile, praesertim cum optime in Capri morem quadrare viderimus eiusmodi scriptores afferre, quorum ceteri grammatici non habuerunt rationem. Loci sunt hi:

Prisc. II 474,20: 'asto astitum' et 'astatum' . . . Aemilius Porcina orator in oratione, uti lex Aemilia abrogetur: „tempore adstiturum atque petiturum me esse."

Dub. nom. 590,3: Situs loci generis masculini, ut Porcina: „ille situs felix."

De Valerio Antiate.

Duo huius rerum scriptoris loci Capri nomine insignes occurrunt apud

Charisium: 207,30: Novissime Tiro in Pandecte non recte ait dici adicitque quod sua coeperit aetate id adverbium. ubi Fl. Caper de Latinitate 'miror' inquit 'id dixisse Tironem, cum Valerius Antias libro II (14): „mater cum novissime aegrotasset" inquit „vovisse fertur", idem XXII (58): „quod novissime nobiscum foedus fecissent."

Hic Caper iterum iusto ordine servato scriptoris libros affert et annalium vocem omittit, cum Probum historiarum vel annalium vocem suo more addidisse appareat e Gellio (VI 9,12 = fr. 100 p. XLV Aistermann). Et cum Priscianus duos tantum Valerii locos afferat, quorum alter secundum Probi alter secundum Capri consuetudinem affertur, haud scio an hic quoque Flavio Capro sit addicendus:

Prisc. II 489,6: 'adultus pro adolitus': Antias in LXXIV (61): „eo omnes hostiae, vituli viginti et septem coniecti, et ita omnia adulta sunt."

De Licinio Macro.

Licini Macri annales inscriptione addita Probum attulisse disertus testis est Priscianus (II 242,21 e. q. s. = Probi fr. 70). Neque vero Caprum hunc rerum scriptorem praeteriisse inde concludo, quod in Nonii capite III hic Licini locus adfertur:

Non. 196,25: Clipeus generis masculini . . . neutro Licinius (24): „in Marte pars magna laevis clipea portant."

Quem locum e grammatico desumptum esse iudicandum est, cum ex suis studiis Nonium attulisse Licinium eo redarguatur, quod quater tantummodo alibi alio modo eum affert (p. 52,8; 63,12; 196,25; 260,5). Et cum Vergili, qui antecedit hoc exemplum Licinianum, versus Capri sit (Verg. Aen. IX 709), Licini locum eiusdem grammatici esse non audacis est contendere. Sed cum Probum annalium vocem addidisse intellexerimus et Priscianus praeter unum locum ubique secundum Probi consuetudinem Licini verba afferat, ille quoque locus haud scio an sit Capri, praesertim cum ter coniungatur cum Caeli Antipatri loco secundum Capri modum allatum, ut etiam illum Caeli locum eidem Capro deberi plus quam probabile sit:

Prisc. II 227,1 = II 266,23 = III 8,8: 'alius tam huius alius quam alii': Caelius in V (37): „nullius alius rei nisi amicitiae eorum causa."
C. Licinius in II (20): „perversum esse alii modi postulare Pyrrum in te atque in ceteris fuisse."

De Caesare Strabone.

Caesaris Strabonis oratoris unus locus, qui occurrit bis apud Priscianum, Capro nominatim tribuitur:

Prisc. II 261,4: 'penus et masculini et feminini et neutri': Caesar Strabo contra Sulpicium tribunum plebis: „propinquos nostros Messala domo deflagrata penore volebamus privare."

Iterum legitur idem locus in farragine illa verborum, quae et apud Caprum et apud Probum inveniri Priscianus dicit II 170,21 ut ibi quoque e Capro non ex Probo (cf. Aistermann p. 30 et fr. 74) Strabonis locum sumptum esse pateat. Praeterea unus locus in censum venit, quem scriptum videmus in Capri conciso libello, qui inscribitur de orthographia:

GL VII 101,16: hoc lutum . . . licet Caesar luta dicat.

Etiam hoc loco Caprum Caesaris verba ad illustrandam suam doctrinam attulisse apparet, si quidem recte Henricus Meyer (Orator. Rom. fragm. p. 335) hic Iulium Caesarem Strabonem Vopiscum agnovit[1]).

De C. Aurelio Cotta.

Cottae oratoris nomen occurrit in incerti grammatici de generibus libello, ubi scriptum videmus hoc:

Dub. nom. 587,17: Praesepia . . . Cotta: „nunc ad praesepia."

Verba, quae hoc loco Cottae tribuuntur, re vera Tibulli (II 1,7) sunt, ut huius libelli auctorem, ut erat ex-

1) aliter Aemilius Baehrens in Woelfflini arch. lexic. II p. 476.

cerptor, genuina verba contraxisse et duorum scriptorum locos in unum conglutinasse appareat. Et cum praeterea hic unus Cottae locus occurrat apud Iulium Romanum:

Charis. 220,1: Sponte nomen quidem est aptoton, ideoque C. Cotta pro Cn. Veturio libro I: „tu solus hic cum optimis, tu de tua sponte hic cum religione",

non erraturos nos esse existimo, si et in Anonymi libellum et ad Romanum Cottam per Caprum venisse contendimus, quoniam Plinius in illo Romani de adverbio capite non est adhibitus.

De Cornelio Nepote.

Corneli Nepotis mentio fit et apud Charisium et apud incertum grammaticum et apud Priscianum. Atque Corneli locum, qui in dubiorum nominum libello legitur, Capro dare non dubito, quod coniungitur cum Ciceronis Oeconomici loco (fr. 15) e Capri libris delibato:

Dub. nom. 576,12: Culmum generis neutri ut Nepos vult.

Qui locus, cui Nepotis libro sit adscribendus, discernere non audeo, cum Iulius Romanus et „Exempla" (Charis. 146,19) et „De inlustribus viris" libros (Charis. 141,13. 141,24. 220,12) afferat. Sed Nepotis locos in Prisciani institutionibus [1]) et in Charisii capite XV [2]) obvios ad eundem Caprum revocandos esse quamquam a similitudine veri non abhorret, tamen pro certo affirmare non audeo, neque ex quo fonte Iulius Romanus hauserit locos Cornelianos diiudicem. [3]).

---

1) Prisc. II 383,4: Nepos (fr. 13): „aedis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio" 'architctata' passive posuit, ἀρχιτεκτονευθεῖσα.

2) Charis. 101,3: „largitudo" nusquam invenitur nisi apud Nepotem.

3) quamquam probabiliter do Capro Charis. 220,12: „Subinde" Nepos de inlustribus viris II (fr. 22); nam Brutus et Caelius qui secuntur scriptores Capro sunt peculiares.

De Sallustio.

Sallustii Crispi operis de Catilina scripti unum tantummodo locum qui Flavio Capro dandus sit enucleavi:

Non. 199,1: Contagio feminino genere appellatur. Sallustius (Cat. 10,6): „post, ubi contagio quasi pestilentia invasit."

Charis. 71,12: Sallustius contagionem maluit dicere: „post ubi contagio quasi pestilentia invasit civitas inmutata."

Quem locum Capri esse eo etiam magis affirmatur, quod Nonius alibi afferre solet Salustium „in Catilinae bello", ut hunc locum grammatico surreptum esse sit concludendum.

Iugurthini belli hoc exemplum Capro probabiliter adsigno:

Charis. 106,12: Sal masculini generis est nec habet pluralem. nam et Sallustius ita usus est (Iug. 89,7): „neque salem neque alia inritamenta gulae quaerebant."

Prisc. II 147,5: 'hic sal salis': Sallustius in Iugurthino: „neque salem neque alia irritamenta."

Accuratiora de Sallusti historiis a Capro allatis invenisse nobis videmur. Legitur enim apud Nonium:

Non. 206,16: 'forum generis neutri. masculini': Sallustius lib. I (124): „illum †nautis forum."

Quem locum e grammatico esse desumptum vel ex eo colligitur, quod Nonius alibi „historiarum" vocem addere solet. Et re vera e Capri scriniis illum locum detractum esse optimo iure concludimus et ex eo quod Lucili versus (146) cum hoc loco Sallustiano coniunctus Flavi est et quod idem Sallustianum occurrit apud Pompeium grammaticum:

Pompei. 163,5: haec fora dicimus. quamquam Sallustius etiam de deambulatorio masculino genere dixerit: „illum raptis forum et castra nautica Sertorius mutaverat."

Praeterea hos locos Capro adiudicandos esse arbitror:

Charis. 62,19: „Bacchanaliorum" Sallustius (hist. III 31) et „Volcanaliorum" (III 50).

Non. cap. VIII p. 489,25: Bacchanaliorum pro bacchanalium, ut vectigaliorum et compitaliorum et novaliorum et vulcanaliorum. Sallustius (III 31): „exaudirique sonus bacchanaliorum" idem Historiarum lib. IV (III, 50): „Curio Vulcanaliorum die ibidem moratus"[1].

Pompei. 168,18: inde est illud quod legimus saepius (Sall. hist. III 50): „Curio ibidem moratus regione Vulcanaliorum"[2].

Pompei. 196,20: Sallustius dixit (III 50): „religione Vulcanaliorum impeditus"[2].

Denique Sallusti locum in libello de dubiis nominibus inscripto obvium Capro tribuendum esse iudico:

Dub. nom. 593,15: Venenum generis neutri ut Sallustius (hist. V 7): „prohibebit nocere venenum quod tibi datur."

Itaque Caprum Sallustium attulisse historiarum voce omissa e locis allatis apparet. Contra Probum operis nomen addidisse certo concluditur ex Prisc. II 236,15 et II 243,3, ubi „Sallusti historiarum" loci diserte Probo tribuuntur. Et cum Priscianus alibi historiarum vocem addere soleat, unum locum, ubi nil nisi libri numerus Sallusti nomini adicitur, Capro deberi elucet, praesertim cum etiam Naevi versus, qui antecedit (bell. Pun. 50), eiusdem sit Capri:

1) haud scio an Nonius alium Sallusti locum ex alio fonte hauserit, quod diverso modo affert illos locos.

2) Horati quoque quod adnectitur exemplum (carm. III 5,10) Capro tribuimus.

Prisc. II 236,1: 'decor decŏris' paenultima correpta apud vetustissimos, quando pro 'decorus decora decorum' accipitur . . . Sallustius in III (20): „equis et armis decoribus cultus." in eodem (III 24): „dedecores inultique terga ab hostibus caedebantur."

Et quamquam etiam complures locos Sallustianos in Charisii capite XV prolatos Capro deberi maxime est verisimile, tamen cum certis argumentis inniti non possim, eos praeteream[1].

De Cicerone.

De Prisciani exemplis Ciceronianis Capro dandis scripsit Hermannus Karbaum[2]. Sed is nimis audacter Fl. Capro omnia ea exempla tribuit, quae sub titulis invenit, quos in Flavi libris extitisse iudicavit. Qua in re quantopere erraverit, statim intelleges, si Priscianum modo hinc modo illinc sua congessisse videris. Neque Probum a Capro secrevit Probiana per illum ad Priscianum venisse ratus. Itaque ad nostram rem minoris emolumenti hanc Hermanni Karbaum inquisitionem esse mihi persuasi. Immo summa in hac subtili re opus esse diligentia mihi concedes, si et omnes fere grammaticos locos Ciceronianos attulisse consideraveris et ipsos grammaticos, qui ad nostram rem faciunt, identidem Ciceronem perlegisse, ut maximam Tullianorum exemplorum partem eos ex suis ipsorum studiis attulisse sit consentaneum. Sed ad ipsos locos tractandos accedamus.

1) Loci Sallustiani a Servio allati maximam partem Aspro debentur (cf. Thilo in Serv. Prolegg. p. XIX); quam ob rem dubitari licet, num Charisii loci Sallustiani qui cum Servio consentiunt (Charis. 107,12=Serv. Aen. XI 801 et Charis. 96,7=Serv. Aen. XI 896=Serv. Georg. II 98) ad Caprum redeant.

2) De origine exemplorum quae ex Ciceronis scriptis a Charisio, Diomede, Arusiano Messio, Prisciano Caesariensi, aliis grammaticis allata sunt. Wernigerode 1889 cap. II.

Ciceronis librorum, qui „De oratore" inscribuntur, hos duos locos in Capri scriptis extitisse certum est:

Prisc. II 267,14: 'ficus tam secundae quam quartae': Cicero in II de oratore (69,278): „cum familiaris quidam quereretur, quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu, amabo te, inquit, da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos."

Charis. 95,27 = 128,28: Cicero de oratore libro II: „de ficu se suspendit" [1]).

Non. 198,16: Colus generis feminini. Cicero de Oratore lib. II (277): „quid tu, Decilla mea? quando ad me venis cum tua colu et lana?"

Dub. nom. 573,29: Colus in lanificio generis feminini, sicut Cicero docet.

„Bruti" unum locum Capri nomine insignem praebet

Charisius 199,8: Elate Cicero de optimo genere oratorum . . . idem in Bruto (8,35): „nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quicquam esset elatius", ut etiam Fl. Caper refert.

Hic Bruti locum Fl. Capro deberi nemo non videt, tamen Ciceronis libri qui inscribitur „De optimo genere oratorum" exemplum quod antecedit a Capro alienum esse Oscaro Froehde [2]) concedo, cum duo fontes indicentur vocabulo illo 'etiam'.

Orationum hic locus Capro diserte addicitur:

Prisc. II 530,19: 'sĭno sĭtus': Cicero pro Cornelio (I fr. 60): „coeptum igitur per eos, qui agi volebant, desitum est per hunc, qui decessit."

Idem locus iterum affertur Capri nomine omisso ab

1) hunc locum non e Plinio, qui advocatur paulo post (128,30), sumptum esse ex illo 'quoque' concludo, quod positum est post Ciceronis locum, quo verbo iunctura aperta fit, qua duo fontes secernuntur; similiter Charis. 195,18 'quoque' et 199,9 'etiam'.

2) in Fleckeis. annal. suppl. 18 p. 642.

eodem Prisciano II 544,26. Alter eiusdem orationis locus Capro certo tribuendus est hic:

Prisc. II 294,3: 'deabus': Cicero pro Cornelio I (2) „ut ab Iove optumo maximo ceterisque diis deabusque omnibus opem et auxilium petam."

Caper GL VII 109,6: deabus Cicero dixit.

Praeterea nonnullos alios orationum locos erui, qui Capro sint adsignandi:

Non. 194,6: Balneae generis feminini. M. Tullius pro Sexto Roscio (18): „occisus est ad balneas Pallacenas, rediens a cena, Sextus Roscius."

Pompei. 164,24: hae balneae, has balneas: „occisus est †a balneis Pallaceni a cena rediens Sextus Roscius."

Cum praeter hunc locum Nonius unum tantum huius orationis praebeat exemplum, id quoque quin e Capro sumptum sit non dubitari posse elucet:

Non. cap. VIII p. 486,27: pernicii pro perniciei. M. Tullius pro Sexto Roscio (131): „quorum nihil pernicii causa divino consilio, set vi ipsa ac magnitudine rerum factum †putem."

Tum hunc incerti grammatici locum e Verrinis sumptum Capro volo attribui:

Dub. nom. 578,6: Eculeus generis masculini, ut Cicero (Verr. act. II lib. IV 43): „†inequitavit eculeus."

Extat enim hoc exemplum sub lemmate, quod in Fl. Capri libris fuisse constat (cf. Prisc. II 114,20 et II 259,17), et ad unum omnes huius grammatici locos Ciceronianos ad Caprum auctorem redire videbis. Alterum Verrinarum locum Capro tribuo hunc:

Prisc. II 157,11: 'antistita pro antistes': Cicero de signis (Verr. II, IV, 99): „postridie sacerdotes Cereris atque illius fani antistitae, maiores natu, probatae ac nobiles mulieres, rem ad magistratus suos deferunt."

Charis. 100,23: antistes habet antistitam ut . . . Cicero in Verrem IV.

Tum summa cum probabilitate Capro adscribo hunc locum Nonianum:

Non. 209,27: Iocus genere masculino. Cicero pro Caelio (46): „ludus, iocus, sermo paene est familiarium deserendus."

Quem locum ideo Fl. Capro dandum esse iudico, quod nusquam alibi Nonius hanc orationem commemorat et quod sub lemmate occurrit, quod e Capri copiis tractum esse discimus per incertum grammaticum (GL V 581,17). Et cum praeterea apud grammaticos, qui Capro auctore usi sunt, semel tantum huius orationis mentio fiat, haud scio an etiam ille locus Flavio sit adiudicandus, praesertim cum paulo post Capri nomen laudetur (Prisc. II 490,9):

Prisc. II 489,15: 'obsoleo obsolevi': idem pro Caelio (40): „chartae quoque, quae illam pristinam severitatem obtinebant, obsoleverunt."

Philippicarum quoque orationum Caprum rationem habuisse certo concluditur ex Pompei grammatici verbis:

Pompei. 154,11: piissimus vituperavit Cicero in Philippicis (XIII 43): dicit „non potest piissimus dici per naturam rerum." insultabat Antonio, „tu" ait „utere semper hoc verbo, piissimus." tamen Caper, ille magister Augusti Caesaris, elaboravit vehementissime et de epistulis Ciceronis collegit haec verba, ubi dixerat ipse Cicero piissimus.

Hic Caper Ciceronis verba, quae in Philippicis orationibus fecerat, ipsius Ciceronis consuetudine redarguisse dicitur. Et unus saltem Philippicarum locus certo addici potest Flavio Capro:

Dub. nom. 586,7: Peristromum generis neutri; sed Cicero (Philipp. II 27,67) elegantius dixit hoc peristroma et haec peristromata [1]).

Sed quamquam non dubito, quin aliarum quoque ora-

1) de simili doctrina cf. Charis. 52,14. 131,10.

tionum Caper fecerit mentionem, tamen cum certi nihil praeterea indagaverim, iam ad cetera Ciceronis opera transeamus.

Atque M. Tulli epistulas diligentissime pertractasse Caprum et attulisse ad doctrinam suam probandam ex Pompei verbis (p. 154,11) supra allatis elucet. Et duos epistularum locos, qui certo ad Caprum redeant, indagavi:

Charis. 108,26: Simiam auctores dixerunt etiam in masculino: Cicero ad Marcellum (cf. ad fam. VII 2,3) „simiolum" deminutive dixit.

Dub. nom. 591,8: Simia generis feminini . . . quamvis Cicero „simiolum" dixerit.

Dub. nom. 572,17: Barones dicendum sicut Cicero ad Pansam (fr. 4).

Ceterorum Ciceronis operum inprimis librorum ad philosophiam pertinentium hos locos ad Caprum referendos esse puto:

Charis. 72,1: Callum neutro genere dicitur: Cicero Tusculanarum II (15,36): „ipse labor quoddam callum obducit."

Dub. nom. 575,3: Callum generis neutri ut Cicero: „ipse labor quoddam callum obduxit".

Non. 198,30: Curriculum neutro genere Cicero Timaeo (fr. 9): „ratione igitur et mente divina ad originem temporis curriculum inventum est solis et lunae."

Charis. 77,12: Curriculus masculine deminutivo est currus, neutraliter autem curriculum spatium ad currendum aptum vel ipsum currendi officium ut Cicero et Varro locuntur.

Dub. nom. 576,3: Currus generis masculini et ideo deminutive curriculus. nam Cicero curriculus et curricula dixit.

cf. Cap. GL VII 109,4: curriculum hoc ut Varro, alii hunc.

Neque vero „Oeconomicum" Capro ignotum fuisse inde colligimus, quod et apud Charisium et apud Priscianum et in incerti grammatici libello huius operis fit mentio. Atque dubiorum nominum libelli locus quin Capro dandus sit neminem dubitare puto:

Dub. nom. 576,12: Culmum generis neutri ut Nepos vult. Cicero autem (oec. fr. 15): „erit brevis culmus."

Sed cum et apud Charisium et apud Priscianum semel tantummodo huius operis nomen occurrat, illos quoque locos Capro tribuendos esse maxime est probabile:

Charis. 107,2: Alvaria neutro genere pluraliter tantum dicuntur . . . quamvis Cicero in Oeconomico singulariter dixerit (fr. 14): „apes in alvarium concesserant" [1]).

Prisc. II 385,4: Cicero in Oeconomico (fr. 7): „Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur", ἀξιοῦνται, passive.

Tum in Capri libris allatum fuisse puto hunc locum:

Dub. nom. 575,4: callidi sunt, ut dixerunt quidam (Cic. de natura deorum III 10,25): „quorum tamquam manus opere, sic animus usu concalluerit" [2]).

Sed locum e Ciceronis de natura deorum libris sumptum quem praebet Iulius Romanus (Charis. 137,4) non Capri sed Plinii esse ipse dicit.

Unum quoque locum e Ciceronis de re publica libris delibatum Capro dare possumus, quem scriptum videmus in eodem de dubiis nominibus libello:

Dub. nom. 586,1: Orbis generis masculini, ut Cicero

1) cf. Cap. GL VII 107,12.

2) cf. Charis. 72,1; etiam Ciceronis, qui antecedit, locum (Tusc. disp. II 15,36) Capro supra dedimus.

(r. p. VI 16): „quem vos orbem lacteum nuncupatis" [1]).

Tum hunc locum Nonianum Capri esse existimo:

Non. 190,10: Angiportus generis masculini, ut aput multos. Neutri: M. Tullius de Divinatione (I 69): „angiporta" dixit.

Nam praeter unum (265,30) hic solus huius de divinatione operis locus a Nonio affertur et lemma, sub quo legitur, Capri est auctoris [2]). Praeterea unus tantum huius libri Ciceroniani locus occurrit apud Iulium Romanum, qui haud scio an ad eundem grammaticum redeat:

Charis. 130,16: 'familiari pro familiare': Cicero de divinatione libro I (37,80): „in Aesopo familiari tuo."

Deinde libri qui de senectute inscribitur hic locus est Capri:

Prisc. II 242,19: 'requies tam quintae quam tertiae invenitur': Cicero in dialogo de senectute (52): „ut meae senectutis requietem oblectamentumque noscatis."

Charis. 142,7: quamvis Cicero „requietem" dixisse memoretur.

Sed ut iam ad finem huius de Cicerone disputationis properemus, liceat denique afferre duos locos, qui Capro sint dandi, in incerti grammatici libello positos, qui loci cuinam Ciceronis libro adscribendi sint, hodie non iam dici potest:

Dub. nom. 584,25: Nucleus generis masculini: nam Cicero (fr. inc. 17) pluraliter „nucleos" dixit.

Dub. nom. 592,21: Veternum generis neutri ut Cicero (fr. inc. 24): „liceat fenerare veternum".

Itaque Fl. Caprum attulisse hos libros Ciceronianos certo probari posse intelleximus: De oratore,

1) cf. Charis. 139,17.

2) cf. Prisc. II 262,17.

Brutum, libros oratorios; pro Cornelio, pro Sex. Roscio, in Verrem, pro Caelio, Philippicas orationes; ad familiares epistulas; Tusculanas disputationes, Timaeum, Oeconomicum, De nature deorum, De re publica, De divinatione, De senectute, libros ad philosophiam pertinentes [1]. Et quamquam non dubito, quin non paucos aliorum quoque librorum locos grammatici e Capri libris delibaverint, verumtamen nil amplius pro certo proferre audeo.

De M. Iunio Bruto.

Bruti unum locum, qui Capro pro certo sit tribuendus, expiscatus sum. Nam in incerti auctoris libello extat hoc:

Dub. nom. 588,18: Quies generis feminini, unde Brutus „requietem" dixit.

Quem locum e Capro huc translatum esse colligitur et ex eo quod Brutus laudatur a Iulio Romano (GL I 130,15 et 220,12) et Prisciano (II 199,8 et 474,22), et quod de voce „requies" Caprum egisse sequitur ex Charisio (69,1. 110,1. 128,12. 142,3) et Prisciano (GL II 242,9). Sed ne Prisciani quidem locos ad eundem Caprum revocare dubito, cum alter (II 474,22) arte coniungatur cum Aemili Lepidi Porcinae exemplo, quod Capro procul dubio deberi supra demonstravimus (p. 75):

Prisc. II 199,8: dicitur tamen et 'pater familiae' et 'patres familiae' . . . . Marcus Brutus de officiis: „itaque patres familiae domini sumus" [2].

Prisc. II 474,22: 'praesto praestitum' et 'praestatum': Brutus in epistulis: „occiso Gaio Caesare, postquam mare transierat, praestatum est".

1) Suo iure igitur Agroecius GL VII 113,12 Caprum in commentando Cicerone praecipuum fuisse dicit, quae verba non ad commentarios spectare puto, sed ad studium operum Ciceronianorum universum.

2) cf. Charis. 107,9 e. q. s.

Eodem modo, ni fallor, Bruti locos a Iulio Romano allatos Capro adsignare possumus. Alter enim locus (p. 130,15) affertur sub lemmate, sub quo Ciceronis (de divinat. I 37,80) et Varronis (ad Neronem) locos Capro dandos esse intelleximus, alter (p. 220,12) arte coniungitur cum Nepotis (de ill. vir. II fr. 22) et Caeli (fr. 60) exemplis Capro probabiliter adscriptis (cf. p. 78 adn. 3):

Charis. 130,15: familiari pro familiare Brutus ad Caesarem: „a Scaptio familiari meo".

Charis 220,12: Subinde Nepos de inlustribus viris II. sed et Brutus et Coelius frequenter eo usi sunt.

Itaque et Bruti libros ad philosophiam pertinentes (cf. Prisc. II 199,8) et epistulas Caprum novisse statuendum.

De Varrone.

M. Terenti Varronis, diligentissimi illius investigatoris antiquitatis, scripta Flavium Caprum non praeteriisse vel eo verisimile redditur, quod ille vir Romanorum eruditissimus optimam doctrinam ei suppeditare potuit. Et re vera non pauca exempla Varroniana adhuc extant, quae in Capri libris grammaticos invenisse potest demonstrari. Atque primum quidem liceat afferre locos e Varronis logistoricis, qui dicuntur, sumptos, quos Capro dandos esse putamus. Et logistorici, qui inscribitur „Gallus Fundanius de admirandis" hos locos Flavio tribuimus:

Non. 220,8: Papaver neutri. Masculini: Varro Admirandis (10): „infriassene papaverem?"

Charis. 83,28: Varro in Admirandis: „infriasse papaverem".

Dub. nom. 586,24: Varro: „infriasse papaverem".

Non. 217,1: Putei genere masculino. Neutro: Varro Gallo vel Fundanio de miris (3): „secundo de stativis aquis, ut sunt lacus et stagna et putea et maria".

Dub. nom. 586,17: Putei generis masculini, ut Cato et Varro.

Non. 218,16: Perdix et masculino genere dici potest. Varro in Admirandis (11): „perdicas Boeotios".

Dub. nom. 587,1: Perdix generis feminini, ut Varro * (Ov. met. 8,237): „garrula limoso prospicit elice perdix"[1]).

Sed cum praeterea bis apud Nonium huius libri mentio fiat, etiam hos locos Capro tribuo, praesertim cum extent sub titulis a Capri doctrina minime alienis:

Non. 205,30: Fretrum neutri tantum generis esse volumus. Masculini: Varro Gallo aut Fundanio (5): „inter Italiam et Siciliam qui est fretus, inter Regium et Messanam"[2]).

Non. cap. II p. 71,26: Aboriatur pro abortet. Varro Gallo vel Fundanio de admirandis rebus (7): „vinum, quod ibi natum sit in quodam loco, si praegnans biberit, fieri ut aboriatur".

Atque cum Plinium solitum esse afferre „Varro in Fundanio" patefiat ex Charis. 61,8=137,4=Prisc. II 331,19, etiam eos Charisii locos, qui non secundum Plini consuetudinem allati occurrunt, do Capro, ideo quoque quod leguntur locis Capri doctrina refertis:

Charis. 72,23: Mendum neutraliter Varro in Admirandis dixit (9): „magnum mendum"[3]).

Charis. 90,3=131,16: 'hic glis': Varro in Admirandis (8): „in silva mea est glis nullus".

1) hic Varronis locum, quem Nonius affert, excidisse patet, cum saepissime hic grammaticus duo exempla in unum conflaverit. (cf. p. 60 adn. 4).

2) cf. Prisc. II 170,3. Charis. 129,6. Dub. nom. 578,23.

3) cf. Cap. GL VII 110,12. Non. 214,2.

Praeter hunc Varronis logistoricum Caper etiam illum, qui inscribebatur „Nepos" videtur adiisse. Invenimus enim apud Charisium sub titulo 'praesepia' Plauti Curculionis versum (228) quem Capri esse supra (p. 16) demonstravimus, cui subnectuntur haec verba: Charis. 59,15: et Varro in Nepote haec praesepes dixit; quibuscum conferas velim verba incerti grammatici:

Dub. nom. 587,16: Praesepia . . . sed Varro haec praesepis.

Et Charisi et incerti grammatici locos ad idem Varronis opus redire nemo non videt. Atque Flavi Capri huius Varronis logistorici locum esse eo etiam magis affirmatur, quod in dubiorum nominum libello Cottae quae secuntur verba eiusdem sunt auctoris.

Unius praeterea logistorici, qui Scaurus inscribitur, loci nonnulli occurrunt apud Charisium, qui omnes haud scio an Capro sint dandi, cum extent sub titulis, de quibus illum egisse constat.

Charis. 77,9: Balteus masculino genere semper dicitur: Vergilius (IX 709) . . . Plinius tamen vult masculino genere vinculum significare neutro autem lora ad ligandum apta, sed Varro in Scauro (2) „baltea" dixit et Tuscum vocabulum ait esse.

Hic Charisius Varronis loco Plinii sententiam refutare videtur, ut illum ex Plinio sumptum non esse pateat. Et cum Vergili qui antecedit versus Capri sit, hunc Varronis locum eidem grammatico adiudicandum esse fit verisimile, quae sententia eo etiam fulcitur, quod Nonius p. 194,15 eandem doctrinam, quae hoc loco Charisiano Vergilii et Varronis exemplis probatur, Vergilii eodem versu et T. Livii verbis e Capro desumptis confirmat. Tum Capri sunt hi eiusdem logistorici loci:

Charis. 88,2 = 131,24: 'gluten' Vergilius... et 'glutinum': Varro in Scauro (3): „glutinum ferunt Daedalum invenisse".
cf. Cap. GL VII 110,2: glutinum non glus; Virgilius gluten dixit.

Charis. 106,30: Palumbes ... Varro autem in Scauro (4) „palumbi" dicit.[1])

Praeter logistoricos Varronis „de actionibus scaenicis" libros Caper adiit, cum huius Varronis operis, quo historia actionum enarrata erat, et excerptor ille incertus et Romanus et Priscianus mentionem faciant. Atque Prisciani locus est hic:

Prisc. II 204,5: 'hoc cepe' Varro de actionibus scenicis III (85) „multifariam in patellis coquere cepe".
Caper tamen et 'cepicius' et 'cepicium' veteres dixisse ostendit.

Quem locum totum Capro deberi praeter id quod solus huius operis locus a Prisciano affertur, eo probatur, quod Capri nomen hic ita legitur, ut procul dubio affirmari possit Priscianum, qui adiectivum nomen (cepicius,-um) apud Caprum se invenisse dixerit, etiam substantivum (cepe) apud eundem grammaticum veterum scriptorum exemplis adprobatum legisse. Praeterea incerti grammatici locum e Capro originem traxisse arbitror:

Dub. nom. 590,4: Scabillum generis neutri, sicut scamnum, ut Varro in actionibus scenicis (86).

Et quamquam etiam Charisi locos (80,10. 95,18. 147,6) ex eodem fonte delibatos esse a similitudine veri non abhorret, tamen si quis dicat e Plinio eos desumptos esse, non habeo quid ei opponam.

Etiam Varronis liber, qui inscribebatur „de originibus scaenicis" ad res scaenicas pertinebat. Et ne hunc quidem librum Caprum praeteriisse ex eo discimus,

1) etiam Lucili (v. 453) et Vergili (buc. 3,69), quae sub eodem lemmate leguntur exempla sunt Capri.

quod Nonius uno tantum loco hoc Varronis opus affert sub titulo 'compitum', de quo Flavium egisse constat (cf. Dub. nom. 574,16). Noni igitur locus Capro dandus est hic:

Non. 196,8: Compita generis neutri. Masculino Varro de Scaenicis Originibus lib. III (75): „ubi compitus erat aliquis".

Praeterea nonnunquam apud Charisium (80,11. 95,27. 107,23) et Romanum (120,18. 128,29), eiusdem libri fit mentio, qui loci si non omnes at tamen aliqua ex parte Plinio sunt dandi (cf. Charis. 120,18. 128,29).

Tum Varronis epistolicarum quaestionum libri in censum veniunt, quibus libris de multis variisque rebus actum fuisse notum est. Cuius operis semel fit mentio in incerti grammatici libello:

Dub. nom. 588,19: Quaestio generis feminini, ut Varro 'quaestionum epistolicarum'.

Quamquam hic nil nisi nomen operis Varroniani extat, tamen illum qui titulum attulit etiam ipsum opus novisse et locos ex eo sumptos attulisse consentaneum videtur esse. Et quin locus allatus Capri sit non est dubium, cum etiam Charisius identidem epistolicas quaestiones commemoret. Sed utrum Charisii quoque loci ad Caprum redeant necne quomodo certo diiudicetur, non habeo.

Praeter epistolicas quaestiones a Nonio epistulae Varronianae[1]) commemorantur compluribus locis, semel a Iulio Romano et de dubiis nominibus libelli auctore. Atque cum Nonii loci cui sint adscribendi dubius haeream[2]), hunc locum libelli de generibus nominum Capro dare non dubito:

1) quas non differre ab epistolicis quaestionibus verisimile redditur per Gellium, qui (XIV 7,3) diserte Varronis litteras ad Oppianum missas illis epistolicis quaestionibus attribuit (cf. etiam Ritschl opusc. phil. III 477).

2) quamquam hos locos consideres velim, quos probabiliter Capro adscribo:

Dub. nom. 590,26: Simpulum generis neutri, ut Varro ad Neronem.

Et cum eiusdem epistulae Romanus faciat mentionem, ille quoque locus eidem Capro est tribuendus:

Charis. 130,17: familiare pro familiari Varro ad Neronem (1) „a Lare familiare".

Deinde cum in incerti grammatici libello satura Varroniana commemoretur et nonnulli etiam apud Charisium saturarum Menippearum loci occurrant, non dubium esse puto, quin dubiorum nominum libelli locus Capri sit auctoris:

Dub. nom. 572,15: Babae vitiose dicitur, sed papae dicendum sicut Varro in satira.

Quae verba ad titulum saturae, quae inscribitur „Papia Papae *περὶ ἐγκωμίων*", spectare nemo non videt.

Denique in Noni capite III occurrunt nonnulli loci Varronis solo nomine instructi, quos omnes, cum Nonius alibi librorum titulos afferre soleat, Capro attribuo, praesertim cum afferrantur ad doctrinam probandam, quae a Capro minime sit aliena:

Non. 193,14: Acina genere neutro frequenter Varro posuit.

Non cap. VIII „de mutata declinatione" p. 493,24: Inberbi, pro inberbes .... Varro epistula ad Fabium: „quod facie Saturorum similes sunt, quod simi sunt idemque inberbi".
cf. Charis 95,18: Inberbi autem dicuntur, non inberbes ... Titus Livius autem XVIII „inberbis" singulariter,

ubi T. Livi locus Capri est (cf. sub hoc), et:

Non cap. IV „de varia significatione sermonum" p. 263,1: Curriculus, ut consuetudo fert (a curru diminutio est) dicitur brevissimum vehiculi biroti genus. Curriculus currus. Varro in epistula Iuli Caesaris „quem simul ac Romam venisse mi adtigit auris nuntius extemplo rus in curriculum contuli propere pedes".
cf. Cap. GL VII 109,4: curriculum hoc ut Varro alii hunc,

et locos supra (p. 85) allatos. Quae cum ita sint Caprum ne ceteris quidem Noni locis segregandum esse arbitror.

Non. 206,27: Fulmentum neutro ut est in proverbio veteri quo Varro utitur saepius: „fulmenta lectum scandunt".

Non. 223,17: 'sal neutro': Varro: „in commentario veteri Fabi Pictoris legi: 'muries fit ex sale, quod sale sordidum pistum est et in ollam rudem fictilem adiectum est'". et postea „id sal virgines Vestales serra ferrea secant".

Neque vero reliquos locos Varronianos, qui in incerti grammatici libello occurrunt, Capro dare dubito, cum tot Varronis exempla e Capri scriptis hunc excerptorem sumpsisse probaverimus, et cum iam satis, ni fallor, intellexerimus eum quae vetustiora atque docta praebet Capro debere. Et quamquam, quos libros Varronianos Caper adierit illis locis non elucet, cum ubique nil nisi Varronis nomen extet, tamen copia lemmatum, de quibus Caper egerit, non mediocriter angetur. Satis multi enim loci restant:

Dub. nom. 572,18: Barbam tondere dicendum, non facere, sicut Varro.

Dub. nom. 572,21: Baxeas calciamenta feminarum, ut Varro dicit.

Dub. nom. 574,9: cals per s litteram, non per x, ut Varro „cals circumfusa aqua".[1])

Dub. nom. 575,10: Conpago generis feminini, ut Varro, haec compages.[2])

Dub. nom. 576,13: Culmum generis neutri ... sed masculinum, ut Varro: „in tritici culmo".[3])

Dub. nom. 587,10: Pilleum generis neutri, ut Varro „est ibi" inquit „si festinas pilleum".[4])

---

1) cf. Cap. GL VII 98,10. Non. 199,18. Charis. 92,31; praeterea Capri est Vergili quod praecedit exemplum (Aen. XI 714).

2) cf. Serv. in Aen. I 293.

3) Ciceronis (oec. 15) et Nepotis (fr. 60) qui antecedunt loci Capri sunt.

4) cf. Non. 220,11.

Dub. nom. 587,17: Varro haec praesepis et alibi hoc praesepe[1]).
Dub. nom. 588,1: Porrum generis neutri, sed Varro * (Lucil. 1370) „ponuntur tenues porri"[2]).
Dub. nom. 588,4: Pistrinum generis neutri sed Varro * (Lucil. 521): „media e pistrina"[3]).
Dub. nom. 590,9: Saccus generis masculini, ut Varro * (Lucil. 1155): „vinum cui nihil sacculus abstulit".
Dub. nom. 590,16: Stiria Varro neutro dixit.
Dub. nom. 591,26: Tofus generis masculini, ut Varro * (Verg. georg. II 214): „et tofus scaber".
Dub. nom. 593,18: Ursum antiqui non declinabant in masculino. . . sed Varro dixit * (Ovid. met. II 494): „†conspectusque in montes horruit ursus".

Unus denique restat locus Varronianus notatu dignus; nempe in Capri qui dicitur libello occurrit, et Cn. Gelli (cf. p. 72) memoria cum Varronis coniuncta Caprum indicat auctorem:

Cap. GL VII 100,1: Gellius et Varro „calvariam".

De Asinio Pollione.

C. Asini Pollionis, clari Augusti aetate rerum scriptoris, oratoris, grammatici, cuius studia grammatica Plinius in usum suum videtur convertisse (cf. O. Froehde in Fleckeis. annal. suppl. 18 p. 604 e. q. s.), libros pervolvisse Fl. Caprum inde colligitur, quod et in de dubiis nominibus libello et apud Charisium et Priscianum eius nomen identidem occurrit. Atque dubiorum generum libelli exempla quin Flavio danda sint nemo dubitabit.

1) cf. Non. 218,7. Charis. 59,11. Cottae quod sequitur exemplum Capri est; vid. praeterea p. 91.

2) cf. Charis. 104,7; de Lucil. versibus cf. Marx in comm. ad h. l. vol. II p. 435 Lucil. ed.

3) cf. Char. 72,30. 37,16=155,16.

Dub. nom. 574,6: Caminus generis masculini sicut Pollio Asinius[1]).
Dub. nom. 592,4: Pollio et alii „turturellas".[2])

Atque de omnibus Charisi locis etsi quidquam certi eruere non potui, tamen paucos non praeteream, quos summa cum probabilitate Capro tribuo:

Charis. 62,16 = 146,33: genetivus pluralis vectigalium, auctores tamen vectigaliorum dixerunt, ut Asinius: „vectigaliorum rei publicae curam esse habendam"[3]).
Charis. 80,2: Catinus . . . et hinc deminutive catillus fit, ut Asinius contra maledicta Antonii: „volitantque urbe tota catilli"[4]).
Charis. 77,15: Asinius pro Urbinianae heredibus imaginis clipeum masculine dixit: „clipeus praetextae imaginis positus"[5]).

Cum ex his locis Caprum Asini orationes ad manum habuisse appareat, haud scio an etiam orationum locus, qui unus restat in Charisi capite XV, eidem sit tribuendus:

Charis. 97,11: Hos pugillares et masculino genere et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valerium.

Ad quem autem fontem ceteros locos, quibus de dictione Asiniana agitur (Charis. 134,3. Prisc. II 383,14. 386,9), revocem dubius sum, cum praeter Plinium et Caprum etiam Probum Asini rationem habuisse probabile fiat per Gellium (lib. X 26,1 = fr. II Aistermann p. VI).

1) cf. Capri qui dicitur codd. Bernenses 330 (B) et 338 (C) ad GL VII 108,12.

2) cf. Serv. in Verg. buc. I 58; praeterea Plauti quod antecedit exemplum (Most. 47) est Capri.

3) Horati (carm. III 5,10) et Sallusti (hist. III 31 et 50) qui secuntur loci (Charis. 62,17) e Capro sunt delibati.

4) Maecenatis quod antecedit exemplum (fr. 8) Capri est.

5) T. Livi et Pomponi (fr. 29) sub hoc titulo exempla Capro dedimus.

De T. Livio.

Titi Livi rerum scriptorum Romanorum principis ter tantummodo mentio fit apud Nonium atque id in capite III, ut hos tres locos e grammatico sumptos esse appareat, quem Caprum fuisse contendere non dubito, cum in incerti grammatici de dubiis nominibus libello et in Charisii capite XV eiusdem Livi nomen occurrat. Itaque et Noni et incerti grammatici locos Livianos Capro dare non iam est audacis:

Non. 196,16: 'consortionem feminini': Titus Livius (VI 40,18): „quaenam ista societas, quaenam consortio est?"

Non. 194,20: Balteus masculini generis. neutro Livius lib. IX (cf. cap. 40 et Luciani Mueller adn. ad h. l.): „aureatae vaginae, aureata baltea illis erant" [1].

Non. 197,20: Callis generis masculini. feminino Livius lib. XXII (14,8): „nisi pecorum modo per angustos saltus et devias calles." idem sic frequenter [2].

Dub. nom. 591,14: Scalper generis masculini, sicut culter ut Titus Livius (cf. XXVII, 49): quamvis quidam scalprum dicant.

Dub. nom. 592,19: Vepres generis feminini, ut Titus Livius „has vepres" [3].

Sed, ni fallor, etiam Livii loci in Charisii capite XV qui leguntur e Capro originem traxerunt, quod ambo exempla extant locis Capri doctrina refertis:

Charis. 77,17: clipeus masculino genere . . . Livius in significatione scuti neutraliter saepius (I 43,2. XXXV 10,12. XXXV 41,10. XXXVIII 35,5) [4].

---

1) cf. Charis. 77,5.

2) cf. Dub. nom. 575,12.

3) cf. Cap. GL VII 101,12. Non. 231,12. Prisc. II 169,18. Duobus locis (Dub. nom. 572,11 et 575,16) Ovidi nomen in Livi corruptum videtur esse (cf. supra p. 60 adn. 3 et 61 adn. 4).

4) etiam Asinii (cf. p. 97) et Pomponii (cf. p. 28) locos cum hoc

Charis. 95,21: Titus Livius autem XVIII 'inberbis' singulariter.

Hoc unum ex allatis Livi locis apparere videtur Caprum Livium attulisse vel solo nomine vel libri numero addito, operis titulum vero omisisse. Contra Probum ut in aliis scriptoribus afferendis sic etiam hic titulum addidisse docet Priscianus (II 470,12 = fr. 101 Aistermann), ut ubicumque scriptum videmus veluti „Livius in I ab urbe condita" Caprum abesse sit certum. Et quamquam haud scio an Livi exempla a Prisciano, qui ubique fere operis nomen Livi locis addat, secundum Capri consuetudinem allata (II 253,5. 281,18. 472,22. 477,2. 490,4. III 69,5) Capro sint tribuenda, tamen ne coniecturis nimis audacibus implicemur cavendum.

De Pompeio Trogo.

Pompeium Trogum, qui et de animalibus et historiarum Philippicarum libros scripsit, Capro ad manum fuisse inde concluditur, quod et apud Priscianum et Charisium et incertum grammaticum eius fit mentio. Et cum Charisius, qui duos locos e Trogi de animalibus libris sumptos affert (102,10 et 137,9), Plinio sua debere videatur (cf. Charis. 137,9), neque Prisciani locos Capro dari pro certo affirmari possit, tamen non dubium esse arbitror, quin incerti grammatici locus Pompeianus e Flavio originem traxerit, praesertim cum legatur sub lemmate, de quo Caprum egisse constat per Nonium (231,8) et Capri de dubiis verbis libellum qui inscribitur (GL VII 112,3):

Liviano coniunctos Capro maxima cum probabilitate dedimus, ut haud sciam an in lacuna, quae extat post Pomponi exemplum, non Plini, qui in naturali historia (XXXV 3,4) plane diversam doctrinam amplectitur, sed Capri nomen exciderit, praesertim cum in eius libris concisis GL VII 97,14 eadem doctrina extet atque hoc loco Charisiano, ut Oscari Froehde, qui Caprum longe abicit, (Fleckeis. annal. suppl. 18 p. 626), opinio sit corrigenda (cf. G. Keil p. 9).

Dub. nom. 593,20: Vectes generis masculini . . . sed Trogus genere feminino dixit.

De Papirio Fabiano.

Papiri Fabiani, qui Senecae rhetoris aetate floruit, mentio fit in dubiorum nominum libello, in Charisii capite XV, apud Iulium Romanum. Et cum Iulii Romani loci e Plinio delibati esse videantur (cf. Charis. 146,28), et in dubio sim, cuinam Fabiani loci in Charisi capite XV obvii sint tribuendi, incerti grammatici locos Papirianos Flavio addicendos esse puto:

Dub. nom. 590,17: Strues generis feminini ut Fabianus: „coacervata strues."

Dub. nom. 591,1: Sal generis masculini, ut Fabianus: „sal mixtus" [1]).

De Cornelio Celso.

Iam ad infinum scriptorem pedestrem pervenimus, quem Caprum pervolvisse cum veri similitudine demonstrari potest. Nam Corneli Celsi, quem artium libros Tiberio Caesare scripsisse constat, duo loci ex libris de agri cultura occurrunt apud Nonium:

Non. 195,5: Cima . . . feminino Cornelius Celsus etsi minoris auctoritatis posuit: „laetam formosamque cymam" [2]).

Non. 222,6: Rastros . . . neutro apud Cornelium Celsum: „omnes rastra adtollunt et adigunt" [3]).

Quos locos grammatico deberi non potest negari, cum nullus praeterea Celsi locus apud Nonium occurrat, neque ex suis ipsius studiis illos locos Nonium sumpsisse verbis altero exemplo adiectis „etsi minoris auc-

1) cf. Cap. GL VII 102,2. Non. 223,11. Prisc. II 147,2. 171,8. Charis. 106,12.
2) cf. Charis. 56,8. Dub. nom. 574,1.
3) cf. Serv. in Georg. I 94.

toritatis" patefiat. Et cum ambo loci extent sub titulis Flavianis nostro grammatico illa Corneliana deberi est plus quam probabile.

Itaque, cum non modo totius latinitatis poetas sed etiam pedestris sermonis scriptores inde ab antiquissimis temporibus usque ad medium vel exeuntem primum post Christum natum saeculum Fl. Caprum in libris suis grammaticis attulisse satis luculenter demonstravisse nobis videamur, iam inquiramus oportet, unde copiosam et egregiam illam doctrinam sumpserit grammaticus.

Caput III.

De Fl. Capri fontibus disserens ita processurus sum, ut primum quidem eos grammaticos afferam, quorum Caprum mentionem fecisse probari posse iudico, neque in singulis grammaticis tractandis quantum potest inquirere neglegam, utrum Caper eorum libros ipse inspexerit an per alios noverit. Tum investigare conabor, utrum omnia, quae profert, Caper ex illorum grammaticorum libris compilatorum more congesserit, an suorum ipsius studiorum fructus nobis praebeat. Itaque iam videamus, quatenus superioris aetatis grammaticos Caper adhibuerit.

De Varrone.

M. Terenti Varronis, grammaticorum Romanorum facile principis, cuius in libris ceteris afferendis Caprum frequentissimum fuisse supra vidimus, ne libros grammaticos quidem neglexisse Flavium verisimile videtur esse. Atque quaestionum epistolicarum, in quibus etiam de rebus ad grammaticam pertinentibus actum fuisse constat (cf. Charis. 73,3. 104,20. 108,10. 109,1), Caprum rationem habuisse supra (p. 93) demonstravi-

mus. Et quamquam ibi locum, quo de dictione Varroniana agitur, Capro dedimus, tamen non potest dubitari, quin Caper etiam locos grammatica Varronis praecepta continentes attulerit ex hoc opere.

Praeterea Varronis de lingua latina libros Caprum adiisse pro certo affirmare licet, cum et in incerti grammatici libello et apud Charisium et Priscianum huius Varronis operis mentio fiat. Atque dubiorum nominum libelli locus e Capro desumptus est hic:

Dub. nom. 584,27: Naevus generis neutri, sed Varro ad Ciceronem (XI, 14) „hic naevus."

Deinde hunc locum Capro dabimus:

Prisc. II 333,9: antiquissimi . . . 'hic gausapes' et 'haec gausapa' et 'hoc gausape' et plurale neutri 'haec gausapa' . . . Varro vero de lingua latina ait (XI, 15) talia ex Graeco sumpta ex masculino in femininum transire et a litera finiri: ὁ κοχλίας haec cochlea, ὁ χάρτης haec charta, ὁ γαυσάπης haec gausapa.

Quo cum loco conferas hunc Charisii, qui ex eodem fonte est petitus:

Charis. 104,13: Gausapa Ovidius neutraliter dixit . . . Varro autem ait vocabula ex Graeco sumpta si suum genus non retineant, ex masculino in femininum Latine transire et a littera terminari, velut κοχλίας cochlea, Ἑρμῆς herma, χάρτης charta, ergo γαυσάπης gausapa[1]).

Sequitur igitur, ut Caper ipse Varronem ad manum habuerit, quam sententiam eo etiam fulciri arbitror, quod Ovidii versus (art. am. II 300) cum hoc loco Varroniano apud utrumque grammaticum coniunctus eiusdem est auctoris. Nam Ovidi exemplo Caper doc-

1) Priscianum e Charisio haec non exscripsisse ex eo apparet, quod et titulum (de lingua latina) addit et locum accuratius affert.

trinam a Varrone alienam probat, ut non dubium sit, quin Caper non modo Varronis libros grammaticos exscripserit sed etiam eius doctrinam examinaverit et, quae minus recte ei dicta esse viderentur, redarguerit, alia de suis addiderit.

Tum etiam Varronis librorum, qui de similitudine verborum inscribebantur, Caper habuit rationem. Nam apud Charisium scriptum videmus hoc:

Charis. 91,26: Pix singulariter dicitur ut ait Varro de similitudine verborum II (4), quamvis Vergilius dixerit (Georg. III 450):
„Idaeasque pices et pingues unguine ceras."

Cum hoc loco conferendus est hic in generum libello obvius:

Dub. nom. 587,14: Pix generis feminini ut Varro „Idaeasque pices."

Hic incertum illum grammaticum et Varronis et Vergili locos in fonte suo invenisse nemo non videt, ut non modo Vergili sed etiam Varronis de similitudine verborum libri memoriam e Capro fluxisse sit colligendum (cf. p. 45 adn.). Iterum autem Caprum non temerarie auctoris sui sententiam amplexum esse sed, quaecumque diverso modo prolata invenit, adnotasse videmus.

De Caesare.

C. Iuli Caesaris de analogia libros Caprum ad manum habuisse testis est incertus grammaticus, qui praebet haec:

Dub. nom. 575,11: Crinis generis masculini ut Caesar de analogia (16).

Cum adhuc eadem doctrina extet in Capri orthographia quae dicitur:

GL VII 101,19: omnia nomina in nis finita masculina erunt, veluti hic finis crinis cinis amnis,

dubitari non potest, quin e Capro incerti grammatici

locus originem traxerit. Sed etiam apud Charisium (p. 101,9) et Nonium (p. 198,8) de eadem re agitur. Atque Nonius praebet haec:

Non. 198,8: Cinis masculino . . . Feminino aput Caesarem et Catullum et Calvum lectum est quorum vacillat auctoritas.

Qui locus e Capri scriptis depromptus est et ideo quod Catulli et Calvi memoria Capro debetur (cf. p. 36 et 38), et quod hoc solo loco[1]) Nonius Caesaris facit mentionem. Itaque incerti grammatici et Nonii locos allatos ad eundem Capri locum spectare sequitur. Sed cum et Plinium (cf. Charis. 122,14; 16. 135,23. 145,1. Pompei. GL V 144,19) et Probum (cf. Prisc. II 250,18) Caesaris libros grammaticos novisse acceperimus, ceterorum Caesaris locorum et apud Charisium et apud Priscianum qui extant nullum inveni, qui Capro certo sit tribuendus.

De Tirone.

In Iuli Romani de adverbio capite M. Tulli Tironis, Ciceronis liberti, librorum qui „πανδέκται" inscribebantur, mentio fit his verbis:

Charis. 207,30: Novissime Tiro in Pandecte (12) non recte ait dici adicitque quod sua coeperit aetate id adverbium. ubi Fl. Caper de Latinitate 'miror' inquit 'id dixisse Tironem, cum Valerius Antias libro II: „mater cum novissime aegrotasset" inquit „vovisse fertur", idem XXII „quod novissime nobiscum foedus fecissent'."

Iterum dilucide apparet Caprum non modo Tironis libros inspexisse sed etiam eius doctrinam examinasse et, quae falsa esse putaret, refutasse scriptorum exemplis ex suis ipsius studiis sumptis.

1) praeter Non. 354,8, qui locus Gellio (XIII 3,5) surreptus est.

De Verrio Flacco.

M. Verri Flacci grammatici Augusti aetate clarissimi libros ad doctrinam grammaticam pertinentes pervolvisse Flavium Priscianus disertus est testis:

Prisc. II 212,15: inveniuntur tamen quidam veterum etiam 'haec allex' feminino genere protulisse, quod Caper ostendit de dubiis nominibus, Verrium Flaccum posuisse allecem hanc dicens[1]),

Praeterea summa cum probabilitate hic locus Verrianus qui in Charisii capite XV legitur Capro est dandus, cum Melissi, Laberi, Horati, Scaevolae quae antecedunt et Calvi quod sequitur exemplum ex illius grammatici libris sint detracta:

Charis. 101,4: Clunes feminino genere dixit Melissus et habet auctorem Laberium . . . et Horatius . . . et Scaevola . . . sed Verrius Flaccus masculino genere dici probat, quoniam nis syllaba terminata anima carentia nominativo singulari masculina sunt, ut panis cinis crinis et similia * feminino genere dixit cinerem, ut Calvus . . .

Cum Verrius Flaccus hic eandem doctrinam amplectatur quam Caper (GL VII 101,19), haec fere apud Caprum genuinum scripta fuisse iudico: „Omnia nomina in nis finita masculino genere dici Verrius Flaccus probat (secuntur exempla Verri). sed etiam feminino genere proferuntur (secuntur exempla ab ipso Capro

1) fortasse etiam reliqui duo loci Verriani apud Priscianum qui sunt ex aliis Verri libris sumpti Capro debentur, praesertim cum extent in farragine illa verborum, de quibus Caprum egisse ipse Priscianus dicit (II 391,1 et 393,9). Loci sunt hi:

Prisc. II 380,10.: Verrius: „saevitiaque eorum abominaretur ab omnibus" passive dixit.

Prisc. II 383,12: Verrius: „Blanditusque labor molli curabitur arte", 'blanditus', κολακευθείς, passivam habet hic significationem.

addita)." Quae si recte disputavimus, hic iterum apparet Fl. Caprum auctoris sui doctrinam examinasse et, quae ipse apud veteres scriptores studiose inquirendo scripta invenerat, addidisse. Sed quamquam etiam ceteris Charisi capitis XV locis (p. 58,23. 85,6. 90,8. 96,9. 96,13. 97,15. 102,10. 103,7. 106,19. 106,20 109,7) Verri memoriam ad Caprum redire equidem maxime esse verisimile puto, tamen cum certo evinci non possit, ne dicas cum studio me Capro omnia adscribere, illos locos praeteream. Illud tamen monendum est Oscarum Froehde (l. c. p. 606 e. q. s.), quamquam Verri locos apud Iulium Romanum obvios recte Plinio tribuit, tamen errare quod etiam capitis XV locos omnes Plinio dat, cum hoc caput ad Romanum minime redire certo sit certius (cf. supra p. 5).

De Valerio Probo.

M. Valerium Probum Berytium Capro nonnulla suppeditasse testatur Iulius Romanus:

Charis. 118,1: Fl. tamen Caper Allecto monoptoton esse Valerium Probum putare ait.

Sed etiam multis aliis locis Caprum copiosam veteris sermonis silvam, quam Probus reliquit, adiisse est consentaneum. Praecipue ex illis locis, ubi Priscianus Caprum una cum Probo nominat, Caprum Probi libros inspexisse concluditur. Itaque ex his verbis:

Prisc. II 171,14: „Supra dictorum nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenis"

Caprum in constituendis nominum generibus Probum saepius consuluisse apparet, et ex hoc loco:

Prisc. II 393,9: „sed et eorum et superiorum omnium usus (agitur de verborum generibus) tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies"

Caprum etiam doctrinae a Probo de generibus verborum prolatae rationem habuisse colligitur, nec non

de participio perfecto disserentem Caprum Probi silvas adiisse elicitur ex his verbis:

Prisc. II 490,8: 'deleo deletum', 'delino delitum', quod Probus et Caper comprobant, usu quoque adiuvante.

Sed Priscianum, quem ipsum Probi libros ad manum habuisse diximus, illis locis Probiana per Caprum accepisse inde non est concludendum, immo eum modo hunc modo illum inspexisse certum.

De Plinio.

Grammaticorum, quos Caper adhibuit, agmen claudit Plinius Secundus, cuius dubii sermonis libros Caprum non neglexisse ex hoc Prisciani loco elici potest:

Prisc. II 393,9: „sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies." Nam si Priscianum non ipsum Plinium inspexisse recte supra [1]) disputavimus, hoc loco Plini memoriam Capro deberi concludendum est, cum Probus ante Plinium libros grammaticos scripserit [2]). Eidem Capro Plini memoriam Priscianum hoc loco debere puto:

Prisc. II 513,17: 'nanciscor' etiam 'nactum' facit absque n, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet.

Sed quamquam non dubium esse arbitror, quin etiam non paucis aliis locis Plini doctrina per Caprum ad inferioris aetatis grammaticos pervenerit, tamen in tanta rerum obscuritate incerta proferre vereor. Illud certe constat Caprum Plini libros grammaticos probe

1) pag. 3 e. q. s.

2) Hieronymus (vol. II p. 155 ed. Schoene) ad annum Abrahae 2072 = post Chr. n. 56 adnotat: „Probus Berytius eruditissimus grammaticorum Romae agnoscitur". Plinius dubii sermonis libros publici iuris fecit anno post Chr. n. 67 (cf. Plin. epist. III 5,5).

novisse, quae sententia eo etiam fulcitur, quod in iis, quae supra disseruimus, nonnulli scriptores occurrerunt, quos et Plinio et Capro peculiares fuisse intelleximus.

Sed iam illa quoque quaestio ad iudicium de Fl. Capri studiis grammaticis ferendum gravissima quae est, utrum Caper fuerit merus compilator an ipse antiquitatis libros diligenter sit perscrutatus, ad finem perducta est. Nam non solum superioris aetatis grammaticos eum expilasse sed eorum doctrinam etiam examinasse, falsa redarguisse, plurima de suis addidisse saepius intelleximus. Praeterea in nonnullis scriptoribus tractandis ut Cn. Gellio et Valerio Antiate Caprum inde ab initio usque ad finem iusto ordine servato exempla ex eorum operibus sumpta attulisse apparuit, ut Caprum libros suis ipsius oculis inspexisse haud dubium relinquatur. Denique non paucos indagavimus scriptores, quorum exempla a solo Capro sunt servata, ut e suis studiis eos attulisse Caprum sit certum, velut Mummium, Volumnium, Melissum, Gracchum, Aemilium Porcinam, alios. Intellegimus igitur, cur inferioris aetatis grammatici tam honorificis verbis Fl. Caprum prosequantur, cum Priscianus (GL II 188,2 et 354,9) eum appellet antiquitatis doctissimum perscrutatorem, et Iulianus grammaticus (GL V 327,15) laudet Caprum antiquissimum doctorem (cf. etiam Agroecium GL VII p. 113).

Liceat denique in extrema huius libelli parte paucis comprehendere, quae nobis videmur effecisse. Atque primum quidem non iam dubium esse arbitror, quin Caper non modo a Prisciano, Iulio Romano, Servio, Pompeio sit adhibitus, qui ipsi se illius rivis hortos suos irrigasse profitentur, sed etiam iis non pauca suppeditaverit, qui aperte eius non faciunt mentionem,

Nonio, incerto grammatico qui de dubiis nominibus libellum scripsit, Charisio in capite XV [1]. Atque quam multiplex variaque doctrina in Capri libris extiterit, ex iis, quae supra explanavimus, luculenter patefieri existimo. Nam praeter id quod sescentis locis de nominum generibus actum esse vidimus, quos locos ad Capri de dubiis generibus librum spectare est iudicandum, diversissimis de rebus Caper disseruit in libro de latinitate inscripto velut de nominum declinatione et casibus, de verborum generibus, de praeterito perfecto et participio, de adverbiis, de praepositionibus, de comparatione, de orthographia [2]. Tum paucis certe in rebus nobis contigit, ut Probum a Capro secernamus, nam saepius vidimus Valerium Probum in afferendis scriptorum locis librorum titulos addidisse (ut „annalium" apud Ennium, Valerium Antiatem, Licinium Macrum; „historiarum" apud Sallustium; „ab urbe condita" apud T. Livium; „saturarum" apud Lucilium; „Aeneidos" apud Vergilium), quos Caper omittere solebat, si quidem dubium esse non poterat, ad quod opus exempla allata pertinerent. Dein certiorem aetatis, qua floruerit Caper, notam consecuti sumus. Nam non solum post Probum Berytium, quem medio et exeunte primo post Christum natum saeculo floruisse notum est, sed etiam post Plinium, qui sub Nerone novissimis annis libros grammaticos in lucem emisit,

1) Capri vestigia etiam hoc Charisii capitis XV loco aperta fieri puto: Charis. 83,12: „Pater patris cum faciat et mater matris cur dissimiliter aper apri et caper capri solet quaeri. tunc enim nos s litteram genetivo adicere debemus, cum illi σίγμα eidem genetivo adiciunt, et cum illis similiter detrahere velut τοῦ πατρός patris, τῆς μητρός matris; porro τοῦ καπροῦ capri, τοῦ αγροῦ agri. item caprina et apruna cur dissimiliter deriventur quaeri solet e. q. s." Cur, quaeso, grammaticus 'caprum' affert exempli causa, cum sescenta alia nomina magis usitata afferre ei licuerit? Quid multa? Caprum haec verba scripsisse puto, cum sua ipsorum nomina pro exemplis ponere grammaticos valde iuvisse constet.

2) cf. indicem lemmatum infra p. 113 e. q. s.

immo vero etiam post Martialem poetam, quippe quem in Capri libris laudatum fuisse intellexerimus (p. 66 sqq.), Fl. Caprum egregiam illam doctrinam, cuius certe partem aliquam congessimus, litteris mandasse statuendum est, ut eum exeunte primo et ineunte altero post Christum natum saeculo extitisse sit concludendum. Neque casu factum esse puto Caprum Flavio nomine usum esse, sed haud scio an propterea illud nomen acceperit, quod Flaviis imperatoribus fuerit, quam sententiam cum iis quae modo de Capri aetate diximus optime congruere vides [1]). Neque vero illud neglegendum esse duco, nomen Capri, quod aliunde non est notum, occurrere nonnumquam in inscriptionibus Galliae Narbonensis („D. Decmanius Caper": CIL XII 2218, 2225, 2231 Gratianopoli; „L. Iulius Caper": CIL XII 3231 Nemausi; „Caper": CIL XII 5685,8), semel in inscriptione Dalmatica („T. Caper": CIL III 2848), ut Caprum eodem modo atque maxima pars ceterorum grammaticorum in provincia, sive in Gallia sive in alia, natum fuisse maxime probabile reddatur. Qua cum re optime quadrat, quod Suetonius tradit in provincia memoriam antiquorum scriptorum, quibus in laudandis Flavium copiosissimum fuisse intelleximus, etiam tum duravisse, cum Romae iam esset obolita. — Sed ut denique finem faciam, non pauca restare moneo, quae ad Caprum revocari possint, quae hic omisi, contentus, si, quomodo in hac quaestione sit procedendum, ostendi.

1) cf. Fr. Osann: Commentatio de Fl. Capro et Agroecio grammaticis, Gissae 1849 p. 6. Fortasse ad hanc rem facit Pompei grammatici locus (GL V 154,13), qui Caprum magistrum Augusti Caesaris appellat, quem locum, si modo Pompeio fides habenda ad Flaviae gentis Caesarem aliquem spectare cum Osanno (l. c.) iudico.

Index scriptorum.

Asterisco (*) notantur grammatici.

Index lemmatum.

Asterisco (*) notantur ea, quae adhuc in Capri mutilatis libris (GL VII p. 92—112) extant. Quae ad Capri „de dubiis generibus" librum pertinere iudico, iis generum notionem addo uncis seclusam.

Corrigenda vel addenda.

p. 2 adn. 3: iudicandum pro indicandum.
p. 13, 12: inde apparet pro inde sequitur.
p. 15, 2: Plautinis pro Plantinis.
p. 22, 21: ex pro exo.
p. 53, 5: hac voce pro hoc voce.
p. 54, 8: adde: Aemilius Macer in Ornithogonia (3):
p. 57, 11: contendo pro contendro.
p. 60, 17: adiudicandi pro adiudiandi.
p. 64, 21: feminino pro femenino.
p. 78 adn. 1: 'architectata' pro 'architetata'.

Vita.

Alfonsus Hoeltermann Bernardi f. matre Anna e gente Drolshagen fidei catholicae natus sum in vico Rhenano prope Rigomagum sito, cui est nomen Bodendorf, a. d. XVIII Kalendas Septembres anni MDCCCLXXXX. Puer novem annorum gymnasii regii Duesseldorpiensis, cui nunc nomen „Hohenzollerngymnasium" datur, discipulus sum factus, cuius tum fuit moderator Julius Asbach †, vir historiae scientia clarissimus, cuius memoriam ut benigni ubique fautoris grato semper animo colam. Vere anni huius saeculi noni maturitatis testimonio instructus Friburgum me contuli ad humanitatis studia colenda. Inde hanc universitatem migravi, ubi per quinquiens sex menses philologicis studiis operam dedi. Tum Berolinum transii, unde iterum post sex menses Bonnam reverti. Examen rigorosum superavi a. d. XI Kalendas Martias anni h. s. XIII.

Docuerunt me viri ornatissimi: Aly, Braig, Thurneysen, Uebinger † Friburgenses; Brinkmann, Dyroff, Elter, de Kraus, Litzmann, Loeschcke, Marx, Meissner, Nissen †, Schulte, Solmsen †, Wentscher Bonnenses; Erdmann, Lasson, R. M. Meyer, Roediger, E. Schmidt †, de Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses. Quos omnes viros egregie de me meritos esse profiteor. Maximam vero gratiam habeo Augusto Brinkmann, Antonio Elter, Friderico Marx, qui regii philologorum seminarii sodalibus me adscripserint, tum Felici Solmsen †, qui grammaticis suis exercitationibus me fecerit participem, Georgio Loeschcke, qui archaeologiae studiorum primitiis me imbuerit, Adolfo Dyroff, qui ad philosophiam pertinentibus exercitationibus me interesse sit passus, inprimis vero Friderico Marx, cuius ex schola hoc opusculum prodiit, meritas gratias ex imo pectore agere gaudeo.

